





FONTANUS











Lechevalier (Paris)
25 fr.
11/May/28

non quantitate sed qualitate annumerantur.

PHISIOGNOMIA ARISTOTELIS ORDINE COMPOSITORIO EDITA, AD facilitatem doctrinæ.

47645

Commentarijs illustrata breuißimis, & propter methodum præspicuam, facillimis. In gratiam eorum præsertim qui mores hominum præspicere student.

AD SERENISSIMAM REGINAM MARGARETAM.

Studio & labore D. I. Fontani Regij Medici, & Primarij Professoris in Regia Borbonia Academia Aquensi.



Delasalle remus 1739

PARISIIS,
Apud IOANNEM PAQVET, via Iacobæa, ad insigne Scuti Britanniæ.

M.D C.XI.

Cum Priuilegio Regis.









SERENISSMAE REGINÆ MARGARETÆ, OMNI VIRTVTVM, ET DOCTRInarum genere ornatiſſimæ: IACOBVS FONTANVS ſeruus obſequentiſſimus. S.D.

PHISIONOMIA (Sereniſſima Regina) *mores hominum, & propenſiones naturales, tum aſcititios per temperamenti mutationem natos, patefacit: agendi namque conſuetudine partos nulla ars detegere poteſt. Quæ cauſa fuit, vt Alcibiades Zopirum falſa de moribus Socratis ſtudio Philoſophiæ comparatis, pronunciãtem, riſerit & ludibrio habuerit. Quòd inter homines rarum extitit, ſolet enim quiſ-*

que plurimum propensiones, & ignicu-
los à natura sibi concessos, summo cum
studio persequi. Phisionomia ergo ferè ad
omnium mores præspiciendos necessaria
est, & omnibus perutilis: præsertim cum,
homo similium societate magis delecte-
tur, quam apes, & commodè aut incom-
modè cum hominibus vitam degat, pro
vt sunt eorum mores. Facit itaque Phi-
siognomia, vt qui ea præditus sit, non te-
merè se dedat in familiaritatem cuiusuis,
antequam indiciis in corpore delineatis
detegat, quibus moribus sit præditus. Ve-
rum quando hoc seculo, dissimulatio fe-
rè omnium mentes tenaciter occupauerit,
Phisionomi industria inutilis videbi-
tur. Hoc à vero longè dissitum est, cum
enim Phisionomia ad detegendos homi-
num mores aptissima sit, si quid profera,
tur ab hominibus, quæ indicijs & notis
in corpore eorum expressis, refragari vi-
deantur, eorum simulatione testos mores

agnoſcet. Hinc neceſſario ſequi par eſt: neminem eſſe aptiorem ad falſò creditos mores detegendos, quàm Phiſionomiæ peritum. Ab hac doctrina hominibus pernéceſſaria ediſcenda, hucuſque duo remorabantur eius ſtudioſos, doctrinæ obſcuritas, & methodus qua Ariſtoteles in Libris Phiſionomiæ eſt vſus: ſuum enim laborem doctis offerens, methodum reſolutoriam ſub obſcuram addiſcentibus eſt ſequutus, nos ſtudentes facilitati, dedita opera inuertimus eum ordinem, euitantes prolixitatem & diuerſarum opinionum enumerationẽ, quibus Aporta, alioquin peritus, adictus omnino, obſcuritatem doctrinæ & tedium maximum diſcentibus peperit. Quare demonſtrationibus breuiſſimis & facilimis, ſententiam Ariſtotelis, omnibus qui de Phiſionomia libros ediderunt præferendam, dilucidè explicauimus. Vt vero meum, hac in re ſtudium tanquam cal-

cari vehementius impellerem, hoc quidquid est laboris, tibi Serenissimæ Reginæ dicandū misi proposui, tuum namque sublime in omnibus scientiis iudicium, nescio quid timoris & obseruantiæ perutilis, excitat iis, qui tuo celeberrimo, illustrissimo & Regio nomini, atque iudicio, suas vigilias dicant, & vouent. Quibus veluti in sese contracti, nihil tibi offerendum, nisi expolitum planè sibi persuadent: In hoc opusculo, si desit ille fructus obseruantiæ, & honesti timoris, rei ipsius difficultas, & negotiosa in ægris curandis medica o ccupatio, à te, (Regina Serenissima, omnium, post homines natos, mitissima) veniam depræcabuntur.



IACOBI FONTANI

PROLEGOMENA IN *Aristotelis Physiognomiam.*



Hysiognomia est subabternata Physicæ, potissimúmque ei parti, quæ explicat animæ naturam. Nam cùm eius munus sit ex signis sensu perspectis cognoscere mores hominum, siue inclinationes naturales, & inclinatio sit animæ facultas ad aliquid agendum, Physiognomia doctrinę de anima erit subdita, quæ explicat animæ facultates. Secundò, homo moribus præditus est subiectum huius doctrinæ, hic autem refertur ad Phisicum subiectum. Præterea multa principia mutuatur hæc doctrina à Physica, ergo ei subalterna est. Subiacet etiam Physiologiæ medicæ, cùm enim potissima ratio & causa morum, & propensionum diuersarum nascatur à temperamento, vt explicauit Gal. li. proprio, quod ani. mo. sequ. temp. corporis: Physiologia naturam temperamenti explicat & modum siue rationem cognoscendi temperamenta, ergo vtrique erit sub-

alterna. Eſt ergo Medici Phyſici officium explicare Phyſiognomiam, quæ certè debet ſummo ſtudio acquiri. Nam cùm omnis ſcientia honore digna ſit ex primo cap.li.1.de ami.hæc non vltimum gradum honoris ſibi vendicabit, agit namque de homine præſtantiſſimo ſubiecto, & de perpenſionibus ſiue moribus illius. Tumque demum hominem agnoſcere dicimus, quando eius mores intelligimus. Vtilis eſt etiam ad familiaritatem cum hominibus ineundam: cùm enim homo ſit magis conſocialis quam apes, ex primo cap. lib. 1. Polit. ſitque adeo periculoſum amicitiam contrahere cum hominibus, vt edicto antiquorum iuſſum ſit, modium ſalis eſſe comedendum cum eo, cum quo familiaritatem contrahere inſtituis, huius vnius doctrinę auxilio periculum illud euitatur, cuius cognitio multo eſt ſecurior, honeſtior, & minùs moleſta, quàm ille mos antiquorum. Si namque poſt aliquam partem ſalis conſumptam mores ſis nactus alicuius hominis, qui tibi cordi non ſint, turpius relinquetur, quàm non admittetur, turpius namque eiicitur, quàm non admittitur hoſpes. Adde quod diuinationi proximum eſt, ex ſignis ſenſibilibus propenſiones hominum detegere. Poſtremò inſtitutoribus iuuentutis valde neceſſaria. Si quando enim beneficio huius artis detegant propenſiones iuuenum, eas corrigent, & remediis, tum conſuetudine contraria. Atque cùm omnibus ſit neceſſaria, præſertim Medico. Nam quemadmodum ſcribit Hipp.1.Progn.ſi Medicus dixerit coram ægris præterita, præſentia, & futura, illi ſibi perſuadebunt, Medicum intelligere morbum

& egrotum naturam, faciliúsque illi fidem adhibebunt. Ita si Medicus ex signis sensilibus sanorū & ægrorum, quæ lucent in eorum corpore detexerit mores, credent facile eum intelligere eorum naturam & temperamentum, quod maximè expetitur ab ęgrotis, & iure. Nam Hipp. 6. Epid. scripsit, principium optimæ curationis esse constitutum in cognitione temperamenti cuiusque hominis.

DE PHYSIOGNOMIÆ DEFINItione, diuisione, & certitudine.

PHysiognomia, vt nomen ipsum designat, est regula siue norma naturæ. Verum cùm nomen naturæ sit ambiguum, præcepto logico priùs distinguendum, quàm definiendum. Sacri Theologi nomine naturæ intelligunt vt plurimùm Deum opt. max. quem naturam naturantem vocant Physici, & præsertim Aristot. lib. 2. Physic. sumit naturam pro forma & materia principiis naturalibus. Medici vsurpant nomen naturæ pro temperamento, & calore innato, dicunt enim naturam coquere, nutrire, aliquando pro forma & figuratione corporis, vt apud Hipp. in Epid. illi moriebantur maximè, quorum natura vergebat ad Phthysim. hoc nomine, intelligunt inclinationem seu propensionem naturalem, aut igniculum ad aliquid agendum: vnde multiplex his temporibus Physiognomia descripta est, astrorum, plantarum, hominum, & animalium: vt videre est in libris bo-

tanicorum, equisonum, & venatorum, hoc loco Arist. vt in sequentibus clarum euadet, nomen naturæ sumit pro inclinatione, aut propensione naturali hominum, quibus naturaliter incitantur ad aliquid agendum, eodem significato Cicero scripsit naturam si sequamur numquam aberrabimus, dummodo natura & propensio bona sit: ita vt Physiognomia scientia sit, in qua per ea quæ in corporibus hominum sensu percipiuntur ipsorum mores siue inclinationes naturales cognoscantur. Propensiones hæ sunt veluti facultates in anima, & homo illas non exercet nisi per corpus, quod probatur ex definitione animæ li. de an. cùm scribit Arist. Anima est actus primus corporis organici &c. Actus namque est perfectio. Anima ipsa est prædita facultatibus, quas exercet per ipsum corpus, id est instrumenta corporea, & potissimùm per temperamentum, calorem innatum & spiritum. Quam ob causam Gal. 2. cap. l. 1. de vsu part. longam texuit enarrationem differentiarum animalium per dispositiones corporis, concluditque tandem animæ, secundum diuersas eius facultates aptum fuisse datum corpus: nam instrumenta parantur facultatibus, ita vt agente anima & subseruientibus instrumentis corporis actiones edantur. Videt quidem anima, sed per oculum tanquam instrumentum. Cæterùm vt in Medicina duplex animaduertitur habitus, vnus contemplatiuus, & alter practicus, vt scribit Auicen. in principio operis sui medici, ita in Physiognomia duplex notatur habitus, contemplatiuus, quatenus versatur in cognitione principiorum, quæ vera sunt, propria,

& necessaria, qualia iudicari debent, quæ ab Arist. in hoc opere fuere descripta, nẽpe anima sequitur corporum affectiones & corpora ab anima afficiuntur, tum omnes rubicundi natura, proindeque sanguinei, sunt hilares, iucundi, & ad amorem propensi. Per ea principia Physiognomus probat de subiecto homine, mores siue propensiones naturales. Alius habitus Physiognomiæ est practicus, quando scilicet propositio maior syllogismi est principium contemplatiuum, minor est particularis, vnà cum conclusione, vt si quis vellet probare Petrum esse natura iucundum, ita argumentaretur. Quicumque facie, & toto corporis habitu, natura ipsa est rubicundus hilaris est habendus, atqui Petrus talis est, ergo propensus ad hilaritatem. Ab hoc habitu Physiognomus potissimum appellatur, vt enim non meretur dici Medicus, qui tantùm generalis Medicæ artis præcepta didicit, neque hominem peculiarem aliquem curare nouit, ita Physiognomi nomen sibi vendicare non potest, qui non nouerit mores hominum peculiares. Neque Zopyrus fuisset adeptus nomen Physiognomi, nisi depræhendisset in facie Socratis signa luxuriæ. Neque hic habitus potest dici contemplatiuus cùm referatur ad finem vitæ vtilem, nimirum ad societatem vel amicitiam cum hominibus ineundam, aut ad corrigendos mores. Præterea hæc doctrina, in particulari propensionum cognitione versatur, & in eis quæ esse possunt & non esse. Is enim qui propensus est natura sua ad aliquod vitium potest propensionem illam correxisse studio & consuetudi-

ne bene agendi, quemadmodum narratur de ipſo Socrate, qui à Zyropo iudicatus luxurioſus, reſpondit eam inclinationem Philoſophiæ ſtudio emendaſſe, quare Phyſiognomia particularis ſcientia dici non poteſt, ſed potius practicus habitus & iudicium artificiale. Sed hoc impoſſibile videtur, nam ſi ſigna adſint in corpore ſenſu percepta alicuius propenſionis, aderit & ſignificatum: nam relata ſunt per ſe & ſecundùm eſſe, nempe temperamentum, & propenſio naturalis, quæ ex illo naſcitur. negamus voluntas namque libera eſt & poteſt ſupra temperamentum. Animaduertendum tamen eſt inclinationem habere ſemper aliquam vim reſiſtendi voluntati, ex quo pronunciauit Ariſt. c. 11. l. 1. magn. moral. eſſe quidem in noſtra poteſtate, vt meliores efficiamur, non tamen vt optimi, quemadmodum inquit, ſi quis valetudinarius à prima conſtitutione ſit, poterit idem hãc diſpoſitionem remediis emendare, ac corrigere, non tamen perficiet vt omnium optimè valeat. Quæ naturaliter dicta intelligi debent, non diuinitus, poteſt enim Deus mutare peſſimum in optimum, vt exemplis quamplurimis ſacræ ſcripturæ patet. Verùm dicet aliquis quæ certitudo poteſt haberi in hac doctrina. Reſpon. cùm homines vt plurimum ſequantur proſpenſiones naturales, & præſertim illi, qui tollunt à voluntate libertatem, multum habebit certitudinis in pluribus hominibus, neque etiam in omnibus diſciplinis quærenda illa certitudo quam Ariſtot. 1. cap. l. 1. de part. an. animaduertit in ſcientiis Metaphyſicis & Mathematicis. Sed ſatis nobis eſſe de-

bet si alteram necessitatem quam noster authorvocat ex suppositione, & vt plurimum possit in hac reperiri. Quare supposita illa propositione quæ vera est, nempe omnes homines vt plurimum sequi solere inclinationes suas naturales, multùm certitudinis hæc doctrina etiam in particularibus sibi vendicat, quæ cùm vera appareant, tamen præcepto euangelico vetitum legitur, ne quis secundùm faciem iudicet, hypocritæ namque tristes ex eodem Euangelio facie extenuatione pij videntur, nec tamen sunt. Respondeo faciem hypocritarum esse studio & ex arbitrio comparatam. At Physiognomia iudicat ex naturali dispositione corporis non simulata, de naturalibus inclinationibus hominum. Atque vt veritatem doctrinæ cōfirmemus Iobi sententia notanda, dum scribit, in manibus hominum signat, vt nouerint singuli opera sua. Idem testantur libri præstantissimorum virorum, Aristotelis, Constantini Affricani, Rhasis, Galeni, Conciliatoris, Alberti magni, ex quibus concludi potest veritas & dignitas huius doctrinæ.

DE FINE ET SVBIECTO PHYsiognomiæ.

SCopus Aristotelis est, hoc in libro, doctrinam tradere per quam mores naturales hominum dignoscimus, ex dispositionibus naturalibus corporis, ex quo perspicuū est eiusdem scientiæ subiectum esse hominem naturalibus inclinationibus

præditum. Alij namque mores ſunt ex Gal. in lib. art. par. naturales, alij conſuetudine agendi comparati. Propoſitio autem illa ſyllogiſmo confirmari poteſt, illud alicuius ſcientiæ ſubiectum habetur, de quo demonſtrantur paſſiones, & proprietates per cauſas, ex 1. lib. poſt. anal. Atqui de homine oſtenduntur in phyſiognomia propenſiones naturales, ergo homo vt eſt præditus moribus naturalibus dicetur huius ſcientiæ ſubiectũ. Si quis dicat ex 6. metaph. ſupponendum eſſe ſubiectum in ſcientia particulari, & non probandum, Reſpondeo probari poſſe per Logicas propoſitiones, quòd ſit tale ſubiectum, & non per principia particularis ſcientiæ. Achilinus Philoſophus li. de ſubiecto Phiſiognomiæ ſubiectũ huius doctrinæ conſtituit hominem ſecũdùm quod natura bonus eſt, in quo labitur. Nam vt ex doctrina, Ariſtotelis clarum euadet æque conſideratur homo in hac ſcientia prauis inclinationibus præditus, atque bonis.

Quidam ſunt arbitrati animam qua ratione eſt ſubiectum inclinationum naturalium eſſe propoſitam huic doctrinæ pro ſubiecto. Sed meo iudici errant, nam animæ omnes humanæ ſunt præditæ ijſdem facultatibus, vnde ſequeretur omnes homines eſſe propenſos ad eoſdem mores, quod eſt falſum experientia. Adde quòd propenſiones ſequuntur totum compoſitum, nempe hominem, vt prima propoſitione huius libri probabitur. Hoc poteſt facile intelligi ſimilitudine ducta à temulentia de quibus loquitur Ariſtoteles eadẽ propoſitione prima, & probl. 16. ſect. 3. ſcribit

vinum varios in temulentis producere effectus, ratione dispositionis variæ corporis eius qui se vino ingurgitauit. Ita anima, potestates quidem & propensiones in se continet, varios autem producit mores pro diuersa dispositione corporis. Ergo subiectũ huius sciẽtiæ erit homo, qua ratione est prędirus igniculis naturalib. & licet Philosophus moralis disputet de morib. hominum, diuersa tamen est vtriusque artificis consideratio, nam moralis Philosophus conatur suis præceptis homines bonis moribus præditos efficere: Physiognomus verò detegere inclinationes hominum prauas aut bonas, societatis aut familiaritatis causa.

TEXTVS.

QVòd affectus animæ corpora ipsa sequantur, quòdque à motionibus corporum possũt affectionem accipere, id valde perspicuum est, cùm in temulentia, tum vel maxime in sinistra corporis valetudine. Impensè siquidem immutari videntur ingenia à corporis affectionibus, similiter etiam è conuerso ipsius animæ affectibus consortij lege compati corpus videtur, vt in amoribus & timoribus, similiter in tristitia & voluptate manifestè videre licet.

SCOLIA.

PRogredietur Aristoteles ab vniuersalibus ad ex qua minus vniuersalia sunt, vt præcipit lib.

1. de demonst. Post propositiones generales, quæ principiorum loco habentur inquirit modum & peritiam doctrinæ, sequutus pręceptum quod instituerat 2. metaph. & 1. c. li. 1. de part an. stultum esse simul quærere scientiam, & modum sciendi quare proponit modum inuestigandi signa, quibus detegantur inclinationes naturales hominū. deinde describit pronunciata specifica, in quibus signa sensibus percepta subiecti locum occupant, mores significati, prædicati tenent. Debent autē probari per causam propriam & inmediatam, vt ipse docuit in lib. de demonst. & quoniam principia scientiæ alicuius, in eadem non probantur per causas, esset enim principio primo, aliquid prius, quod absurdum censetur, sed eorum probatio instituitur à pestiliori, vt loquuntur Philosophi, & Aristotele vlt. ca. 1. l. 2. de demonst.

Primum autem principium huius doctrinæ est, quòd animæ sequantur affectiones corporum, & corpora ab anima afficiantur. Prima pars huius principij probatur ex temulentis & morbis tanquam effectis, quibus corpora hominum afficiuntur: nam in temulentis, corpus est effectum vini calore excedente, quo anima non afficitur, cùm sit inmaterialis, & tamen temulenti tam varios induunt mores, quàm diuersum est eorum temperamentum, & dispositio corporis, vt explicat Aristoteles sect. 5. probl. Item morbus est affectus præter naturam corporis sine vlla noxa animæ, tamen in illis animæ operationes perturbantur, & læduntur vt videre est in delyrio, melancholia, morbo, Phrenitide & aliis: ex quibus

tanquam

tanquam experientia cõpertis licet concludere animam ſequi diſpoſitiones corporis, & ex his nos poſſe dignoſcere propenſiones hominum naturales, contra Plinij ſententiam, qui cap. 52. l. 2. hiſto. nat. vanam & friuolam hanc appellat doctrinam, licet fateatur virum fuiſſe magnum Ariſtotelem & probum, qui de ea ſcripſit& ſeueriſſimum authorem. Sed quo pacto anima ſequatur corpus in dubium reuocatur. Aliquid poteſt aliud ſequi quatuor modis, primò vt effectus ſuam cauſam. Secundo, vt cauſa ſecũdaria primariam: tertio, ordine temporis & proportione, quemadmodum tectum ſequitur fundamentum & cæteros parietes: quarto, vt cauſa ſequitur inſtrumentum in agendo, id eſt, exerit ſuam operationem per modum inſtrumenti vt manum mouet anima, manus calamnm, calamus varias poteſt habere diſpoſitiones, ita vt pingantur literæ aut benè aut malè, prout benè aut malè aptatus eſt calamus: vnde ſequitur animam & manum in depingendis literis ſequi diſpoſitionem calami. Anima non ſequitur corpus, vt effectus cauſam, nõ enim illius cauſa eſt. Neque vt ſecũdaria cauſa primariam, cùm non ſit eius generis, ſeu cùm non ſit tale corpus, neque proportione quadam & tempore, nam ex 2. metaph. cauſæ formales ſunt ſimul tempore cum materialibus in compoſitione. Reliquum eſt vt ſequatur corpus anima, vt inſtrumentum illius: cum enim cauſa præcipua, vt anima formam, quam ſibi propoſuit, producat per inſtrumenta, cauſaque inſtrumentaria recipiat influxum cauſæ agentis præcipuæ, pro-

ducitur effectus per modum instrumenti. Quare Arist. lib.1. de ani.c.4. scribit si senex haberet oculum iuuenis videret vt iuuenis, oculus namque in videndo instrumentum est animæ. Et Alb. Mag. c.2. trac.2. de anim. scribit spiritus corporeos esse vehicula facultatum animæ, nec potest esse, quod vectus, non in multis sequatur motus sui vectoris, vt videre est qui curribus vehuntur. Ergo anima in suis operationibus sequitur dispositionem instrumentorum.

Quomodo autem patiatur anima à corpore explicandum est. Anima potest considerari duobus modis. aut in sua essentia, aut ratione operationis: in sua essentia quatenus forma est substantialis non potest pati à corpore, nam quæ patiuntur abaliquo communicant materia cum eo à quo patiuntur. At anima est immaterialis, est enim alterum principium cum corpore ipsius hominis. At principia sunt æque prima ex lib. 1. Phys. nequo vnum principium sit ex alio, nam non esset principium. Aut consideratur anima ratione operationum, omne verò agens quod exercet suas operationes per instrumentum mutabile, potest alterari in suis operationibus ad mutationem sui instrumenti: Atqui anima perficit suas operationes per corpus, excepta intellectione, tanquam instrumentum quod est mutationi obnoxium. Ergo anima in suis operationibus potest mutationem à corpore recipere. Sed quænam causa potest esse amentiæ & stoliditatis quæ non sunt tantùm læsiones mentis, sed veluti corruptiones. Respon. animam non ratiocinari sine spectris vt

ſcribit Ariſto.c.7.l.3. de ani. Et ſpectra recipiuntur in ſpiritibus, taliáque apparent animæ quales ſunt ſpiritus, quibus ſunt impreſſa, vt qui vident per vitrum rubicundum, illis omnia apparent rubicunda. Ita fit in anima & in internis operationibus. Quando ergo ſpiritus ſunt deprauati in coloribus conſiſtentia, & motibus, deprauant actionem animæ etiam ratiocinatricis, quòd ſpectra non appareant vt ſunt ſimpliciter, ſed per diſpoſitiões ſprituum. Præterea intelligendum eſt æſtimatiuam facultatem ex illis ſpectris, elicere alias ſpecies inſenſiles, vt auis dum videt lutum & paleas, elicit per vim æſtimatiuæ nidificationem, quæ adhuc non eſt; ita ex illis ſpeciebus corruptis vitio ſpirituũ æſtimatiua elicit ſpecies inſenſibiles, & præſertim ſub ſpecie boni aut mali: vnde ægroti ſunt aliquando audaces præter rationem, & aliquando timidi. Cùm ergo hæc contingant propter vitium ſpirituum, qui ſunt inſtrumentũ animæ, hoc non debet attribui animæ, ſed ſpiritibus tanquam inſtrumentis, quare anima non patitur in ſua eſſentia, etiam in amentia & ſtoliditate, ſed ratione operationũ vitio inſtrumentorum.

Secundam propoſitionem explicat. Ariſtoteles enim ſcribit; ſimiliter etiam è conuerſo ipſius animæ affectionibus conſortij lege compati corpus videtur. Probat hanc propoſitionem ex amore, timore, triſtia & voluptate, in quibus manifeſtè corpus immutatur: cùm tamen in illis primò anima afficitur. In amore quidem corpus extenuatur, licet amor cum ſit deſiderium pulchritudinis fruendæ, ad animam ſolam pertineat, & non ad cor-

pus. Ratio autem huius effectus in corpore nati & passione animi est huiusmodi, secundùm Auicen. 6. lib. natural. nimirum ex vehementi contentione vnius facultatis in sua operatione, fit vt aliæ facultates remittātur in suis operationibus, vt ex magna, contentione facultatum animalium in meditando, & imaginando remittuntur seu diminuuntur operationes facultatum naturalium, non ratione animæ, sed causa instrumenti communis: Nam facultates animæ non possunt exequi sua munia nisi beneficio caloris innati & spirituum inseruientium illis facultatibus. Quare dū intense facultas animalis vt imaginatiua, versatur circa obiectum gratum & amabile, non potest anima perfecte nutrire corpus, est namque calor naturalis finitus, certa quantitate & potestate agendi, pluribus ergo seruiens non potest æquè perfectè omnibus famulari, quando scilicet rapitur ab anima ad operationem aliquam vehementem & intensam. Hoc cernitur perspicue in somno, in quo quiescentibus animalibus facultatibus perfectius exercentur facultates naturales. In timore idem accidit, retrahitur nāq; calor innatus ad partes interiores, quò suppetias ferat animæ timenti, propter opinionem mali futuri. Ex quo sequitur vt partes quædam corporis destituantur calore innato, vnde frigescū t & contremiscunt. In tristitia non dispar est ratio. In gaudio verò expanditur spiritus, quasi velit occurrere rei gratæ, ex quo dissipatur non sine periculo vitæ, vt cōtigit Cio Lacedæmonio & Sophocli.

Verùm per hanc causam non potest reddi ratio affectuum aliorum qui ab anima redundant in corpus, vt caloris corporis & excandescentiæ. in ira, commotionis totius corporis. in desiderio turpi & impudico, & macularum siue notarum quæ apparent in fœtibus post desiderium mulierum grauidarum, quæ rebus præcupitis nequiuerunt frui. Maxima pars Philosophorum existimat species intentionales posse realiter immutare corpora, quod probant authoritate, experientia & ratione. Authoritas est Aristotelis qui in lib. de motu ani. scribit cogitationẽ & imaginationem commouere affectiones corporis, nam agentium affectionum species repræsentant. Experitur etiã quisque in se, ad solam apprehensionem speciei sensibilis commoueri alterationem in suo corpore, vt in motibus inuoluntarijs cordis qui vt scribit Aristoteles eodem libro, apparente sæpenumero re aliqua, quanquam mens nihil decernat, corpus tamen mouetur. Ratione idem conuincitur; Ira est feruor sanguinis circa cor, atqui ira ab specie intentionali potest excitari, vt ex relatu iniuriæ illatæ, ergo species intentionales possint re ipsa corpus alterare. Confirmari hoc etiam potest ex eo quod res rubicũdæ, vt panni, iudicio medicorum, sanguinis fluxum augeant; tũ ex maculis apparentibus in corporib⁹ fœtuũ ob varia desideria rerum præcupitarum à mulieribus tempore grauiditatis, quæ vera omnino sunt. Tamen non bene iudicant quamplurimi quando existimant hoc fieri in omnibus, propter similitudinem effectus nati in corpore, cum specie intentionali. Nam li-

cet hoc verum esse possit, in maculis quæ apparẽt in corporibus fœtuum, nam macula est similis spe ciej intentionali rei desideratæ ; tamen quando corpus incalescit & excandescit in ira, quando in turpi desiderio totum commouetur corpus quæ similitudo intercedit inter iniuriam illatam, quæ commouet iram, & ipsum feruorem corporis, quare in istis passionibus alteratur quidem corpus realiter tamen non propter similitudinẽ speciei intentionalis, cum alteratione corporis. Sed quia anima mouet spiritus & humores prout est necessarium ad amplectendum bonum aut ad fugiendum malum. Alteratio autem & commotio in istis passionibus diuersa est quantitate, prout corpus diuerso modo est dispositum. Nam in biliosis, vel minima iniuria multùm commouet corpus, in pituitosis parum. Sed hæc propositio Physiognomo non videtur vtilis, nam eius beneficio non deprehenduntur inclinationes naturales, potius passiones in actu existẽtes, vt amor sed ira, timor, & non inclinatio ad amorem iram & timorem. Quare illa cognitio affectuũ per signa, quæ in corpore existunt deriuata ab anima, pathonomico potius dicetur, quàm physiognomico. Et quoniã sine doctrina ab omnibus hominibus illi motus intelliguntur, nullam hac de re hoc in libro instituit Aristoteles cognitionem.

TEXTVS.

INsania animæ morbus videtur medici autem medicamentis corpus purgantes, atque

ſelecta victus ratione ad id vtentes, animam ab inſania liberant, corpori medicamentis adhibitis. At ſimul atque corporis diſpoſitio ſoluta eſt, & anima ab inſania ſoluta.

SCHOLIA.

Probat primam propoſitionem ſeprius explicatam, quod anima in ſuis operationib. ſequatur diſpoſitionem corporis, idque ab effectu hoc modo. Qui laborant inſania animi morbum non habent ſed corporis, nam anima morbo proprie dicto non laborat, & tamen læſa eſt in operatione ratiocinationis. ergo anima in ſuis actionibus offenditur per diſpoſitiones corporis. Quod autem inſania ſit morbus corporis, & non animæ, probat ex eo quod medici purgantes corpus medicamentis, vt elleboro & aliis, & inſtituentes accommodatam victus rationem ſanãt mentis alienationem, atqui purgatur corpus non anima, ergo inſaniebat homo, vitio corporis non animæ: poſtquam enim humores deprauati fuere detracti, officientes actionibus animæ; anima priſtinæ naturæ reſtituitur: ergo anima operando ſequitur corporis diſpoſitionem, & per conſequens ex diſpoſitionibus corporis licet cõiicere inclinationes & propenſiones animæ naturales.

TEXTVS.

Ad hæc etiam vel in iis quæ in dies natura ſiunt quis obſecro facillime non cognoſ-

cat eo consortio, ac necessitudine corpus & animam colligari, vt plurimas affectiones alternata vicissitudine, ac sibi mutuo progignant. Nullum enim animal tali conditione productum est, vt formam quidem vnius inclinationes autem alterius animalis sortiatur, sed semper eiusdem & animam & corpus repræsentat. Atque ideo vt tale corpus talis affectio sequatur est necessarium. Etenim qui in singulis animalibus examinandis sunt periti ex forma potissimum & corporis lineamentis etiam possunt propensiones facile contemplari. Equestres quidem equorum venatores autem canum. Hæc igitur si vera sint (quæ quidẽ semper sunt vera) possibile sane est ex corporis lineamentis naturam totius inuestigare.

SCHOLIA.

PRobat alio argumento Aristoteles primas illas propositiones, ex his quæ naturaliter contingunt in animalibus, in quibus hoc animaduertitur, vt vnumquodque animal gerat formam suæ speciei, & eiusdem mores retineat: vt canis formam habet speciei, & mores etiam eiusdem, nimirum proprietatem seu aptitudinem ad venandum, lepus ad velociter currendum. Quare ita constitutum est à natura, vt quælibet anima cuiusuis animalis habet certas& determinatas facultates, secũdùm quas natura efformauit animaliũ

corpus. Nam vt in genere verum est, & scribitur penultimo cap. lib. 2. Phys. omnis præparatio materiæ pendet ex relatione ad formam siue finem; atqui corpus est tanquam materia in qua anima; & anima forma siue finis illius, ergo oportuit naturam construxisse corpora secundùm facultates animæ: ergo est necessarium animam vti corpore, tanquam instrumento, & operari peripsum corpus, seu secundùm modum corporis vnde sequitur quod proposuerat nullum animal habere formam alicuius speciei animalis, & alios seu diuersos mores ab illa specie, vt anima canis habet potestatem latrandi, & omnes canes latrant per dispositionem corporis, vnde sequitur conclusio iam dicta. Probat illud etiam ab electione animalium: qui eligunt equos vel canes non possunt in anima, equi & canis cernere mores, sed ex dispositionibus corporis distingunt generosum equum ab his qui non sunt generosi: tum canes ad venandum aptos, ab iis qui ad venationem minus apti sunt. Ergo ex signis in corpore animalium existentibus, & sensu perceptis possumus dignoscere propensiones animalium. Aduersus primam huius textus propositionem, tria opponuntur argumenta. Primùm est si Pithagorici Metempsicosis vera sit, homo referet speciem humanam, & propensionibus erit sua leo: vel leo referet speciem leonis, & moribus erit homo, quod fieri non potest, quando natura accommodauit dispositionem corporis, secundùm facultates animæ. Atqui dispositio corporis leonis est ad rapacitatem, crudelitatem, & alios mores ferinos, nullamque ha-

bet poteſtatem ratiocinandi, ergo leo non poteſt recipere animam hominis. Neque etiam Pithagoras intellexit illud reuera, vt anima hominis indueret corpus leonis, aui ſuis, ſed homo in ſua natura quando habet mores, vulpis fit vulpes quando leonis, fit leo Metaphoricè propter morum ſimilitudinem. Secundum argumentum homo poteſt laborare morbo dicto Lycanthropia, ergo referet ſpeciem hominis, & moribus erit lupus. Reſpon. nos hoc loco intelligere ſecundùm Ariſtotelem de animalibus, bene habentibus, & proſpera fruentibus valetudine. Tertium argumentum. Homo qui à reliquis animalibus ſola ratione differt, in moribus cum omnibus fere conuenit animalibus, nam eſſe poteſt audax vt leo, timidus vt lepus, aſtutus vt vulpes, mitis vt agnus. Atque ita de cæteris: ex quibus moribus variis inſignitur nominibus. Vt appelletur leo, canis, vulpes, agnus &c. Ergo animal eſt aliquod in rerũ natura quod formam gerit alicuius ſpeciei, & mores alterius animalis. Reſpond. hominem mundi compendium continere quodammodo, omnia in anima quidem habet facultatem cognoſcendi omnia, & vt ſcribitur ab Ariſt. 3. de anima eſt qnodammodo omnia. In moribus facultate pollet imitandi omnia animalia, & in manu conficiendi omnia inſtrumenta, quæ animalibus à natura data ſunt, & fortiora multò, & vehementiora, vt licet probare ex inſtrumentis ex ferro paratis, & ex tormentis bellicis, catapulta & bonbarda. Vt enim homo eſt ſuperioror, & excellẽtio rreliquis animalib. ita pollet facultate omnium, & enimenter continet

illam. Neque falsa est propositio, nam cuique animantium generi est data aliqua proprietas, homini quidem facultas ratiocinandi, quare si homo referret speciem seu formam hominis, & careret ratione, falsa esset, sed cùm omnes homines vtantur ratione, vt gerunt formam hominis, ita & facultatem ratiocinandi quare vera est illa propositio omnia animalia præ se ferre formam suæ speciei, & mores eiusdem retinere.

TEXTVS.

QVi igitur nostri maiores ex figura naturas hominum perpendebant, tribus potissimum modis coniecturam inibant, vnusquisque autem vnico modo. Etenim nonnulli ex animalium generibus contemplabantur, in singulis nimirum generibus vnicam formam, vnicamque naturam constituentes. Alij verò ex talium animalium genere perscrutabantur, ad demum quod simile alicui corpus haberet, idem & similem animam habiturum continuò existimabant. Porrò alij idem cum his ferebant iudicium, verum non in omnibus animalibus, sed tantummodo in humano genere id considerantes. Qui quidem populos omnes corporis forma, atque etiam animi moribus differentes, quales sunt Aegiptij, Thraces, ac Scythæ à se in-

uicem ſeparantes, ex ſignis ſimiliter ratiocina-
Nec deerat qui ex conſtitutione , quæ bantur.
oboritur in vultu ſimiliter iudicarent , contemplantes videlicet quam couſtitutionem referat iratus homo , quam timidus animoque perculſus , quam denique libidinoſus , aut quiuis alius impetu quodam perturbatus. Poſsibile tamen eſt , vt omnibus hiſce modis , ac aliis multis , animalium naturas conſideremus : ac ex eiſdem ſignis , tametſi eadem ſint in animalibus variis , diſsimiliter colligamus , quemadmodum faciunt qui ex vultu dumtaxat iudicant.

SCHOLIA.

PRobata doctrinæ poſſibilitate, nam quæſtio an ſit debet præcedere reliquas ex 1. cap. lib. 2. de demonſtr. nunc ſequens præcepta peritiæ ſiue modi ſciendi inquirit modos inueſtgandi cognitionem naturalium propẽſionum hominis. Modus autem eſt multiplex , nam aut progreditur à cauſis aut ab effectis. A cauſis, aut proximis aut remotis. Cauſa proxima morum eſt temperamẽtum , & ſpiritus corporis , quod ex doctrina Medicorum eſt præcipuum, & inmediatum animæ facultatum inſtrumentum. Cum ergo anima edat ſuas actiones per temperamentum , qualis eſt corporis temperies , & tales erunt animæ actiones. Temperamentum ergo eſt cauſa inſtrumen-

talis actionum auimæ, & immediata. Causæ remotæ duæ iudicantur potissimæ & communes, aër,&cœlum. Aër namque afficit suis qualitatibus corpus humanum, eiusque mutat temperamentum, vnde effactum illud medicum, qualis aër tales spiritus & humores, tum etiam temperamentum. Eam ob rem Hipp. lib. de aër.loc. & aqu. scribit longè pulchriora & maiora omnia nascuntur in Asia, estque regio ipsa Europa nostra multò mansuetior, sunt etiam hominum mores benigniores & cultiores. Causa verò omnium eorum est temporum anni temperata mixtura, siquidẽ in medio solis exortu sita est, ad auroram, à frigiditate & caliditate omni remotior: Incrementũ autem & benignitatem inde proficisci omnibus est in confesso, cùm nihil præcellens & agens violenter, sed per omnia æqualitas vigeat, quamuis non habeant omnia vbique per totam Asiam secundùm eundem modum. Sed hic modus iudicandi est vniuersalis, Physiognomia autem iudicat de inclinationibus particularibus hominum. Alia causa est remotior nempe cœlum; à cœli nãque constitutione secundùm diuersas astrorum coniunctiones Astrologi inquirunt mores naturales hominum hac ratiocinatione, Cælum suis influentijs afficit aerem, aër alterat corpora humana, proindeque eorum temperiem, ergo cœlũ potest diuersos mores in hominibus procreare. Que sententia vera quidem est, dummodo ita intelligatur, Astra potestate pollent generandi seu producẽdi similes qualitates qualitatibus elemẽtorum, vt hæ ab illis æternis conseruentur: si ali-

ter intelligatur vt iudiciali ſolent explodenda ſententia ex iudicio S. Eccleſiæ, & nuper fuit refutata a I. Baptiſta Porta in libris Phyſiognomiæ cœleſtis. Ariſtoteles hoc in libro certiorem aggreditur viam, nempe per ea ſigna quæ in corpore exiſtunt, mores inquirit naturales. In eo autem artificio refutat antiquorum ſententias, deinde ſuam confirmat hi omnes in genere ducebant ſigna à figura, & conformatione animalium, quam contemplabantur, vt per aliquam rationis ſimilitudinem conijcerent de moribus hominum.

Primus modus erat eorum qui in ſingulis generibus animalium, conſtituebant vnicam formam & naturam, vt ſcilicet omnes leones eſſent fortes & feroces, & qui eſſet ſimilis in forma leoni, ille haberet mores leoninos & feroces. Qui modus à ſecundo quomodo diſtinguatur difficillimum eſt percipere, niſi quòd in genere illi iudicium ferebant aliquid habere ſimile illa animalia, in ſecundo autem omninò eſſe ſimilia. Tertius modus eſt eorum qui coniecturam trahebant inclinationum ex ſimilitudine hominum cum hominibus, vt qui eſſent ſimiles alicuius regionis viris, poſſiderent mores ſimiles, & qui Scythæ exiſtit ſimilis facie, crudelis habeatur qui verò Gallis, liberalis, bellicoſus. Quartus modus ducebatur a diuerſis conſtitutionibus hominum, quemadmodum dictum eſt ſupra.

Verùm dubitatur num poſſit homo ratione ſignorum, quæ apparent in corpore, comparari cū brutis, præſertim cùm ex 7. phyſ. comparatio fiat tantùm inter res eiuſdem ſpeciei. Reſpō. compa-

rationem esse duplicem vnam propriam & absolutam, secundum quam fit comparatio inter res eiudem speciei, alteram impropriam, per rationis similitudinem & analogicam, quæ potest admitti inter homines & belluas hoc modo Aristtoteles brutorū sagacitatem in libro de animalibus prudentiam vocat. Quare antiqui in comparatione brutotum cum homine, intelligebant comparationem analogicam & impropriam.

TEXTVS.

PRimo quidem quod aliqui tametsi dissimiles moribus, eadem tamen habeant vultus accidentia, vt puta magnanimus atque impudens, qui cùm præ se similem ferant vultum, moribus tamen sunt quam maxime differentes. Secundo verò quod per interualla temporum gemina vultus figura in alienam peregrinamque mutatur. Interdum namque contingit, vt qui tristis est & calamitosus fælicem aliquam transigat diem, atque ita fæliciorem formam accipiat: sicuti non rarò etiam euenit euis contrarium, vt videlicet qui lætus est sua natura aliqua tristitia afficiatur, ac demum hilarem vultus constitutionem in aliam tristiorem commutet, Fit itaque his de causis, vt de pauciseorum quæ videntur sit sumenda conectura.

SCHOLIA.

ARiſtoteles reprehendit primo quartũ modum progrediendi in Phyſiognomia, ex conſtitutione eius qui aliqua animi perturbatione afficitur, qui poſterior deſcriptus, vt faciliùs memoriæ hæreat. Probat autem fere hoc modo, Phyſiognomiæ ſcientia quæ progreditur à poſteroribus ea debet eligere ſigna, quæ aut ſola & ſingularia ſolum ſignificent, aut plura ſimul collecta. Atqui ea quæ ex conſtitutione eorum ſumuntur, quæ mentis perturbationibus exagitantur, neque ſola, neque plura collecta neceſſariò ſignificant mores hominum; ergo hic modus improbandus. Probat minorem: quæ denotant varios mores ea neceſſaria non ſunt' neque propria, atqui facies magnanimi & impudentis ſunt ſimiles, & tamen mores vtriuſque toto cœlo differũt, ergo modus qui capitur ex illis eſt reijciendus hæc minor propoſitio non eget probatione, ſenſu enim & iudicio omnium certa eſt. Item pallor facies poteſt eſſe ſignum ægritudinis, & timiditatis, timentes namque palleſcunt. Secunda ratio. ea quæ certò aliquid ſignificant mutationi non ſunt obnoxia, at quæ ſumuntur ex vultu in dies mutantur, ergo certa illa non poſſunt eſſe ſigna. Nam qui calamitatibus opprimuntur, quiuè melancholici ſunt, poſſunt tranſire aliquem diem optatum, & fœlicem, in qua vultus & faciles omninò mutata erit, ſine vlla permutatione propenſionis naturalis ad agendum. Ergo ex vultus diſpoſitione de moribus innatis nõ eſt ſimpliciter

pliciter ferendum iudicium.

Quæritur autem num mores insiti, & naturales mutentur secundùm tempora varia, sicuti dispositiones quæ apparent in facie. Primò ad mutationem complexionum corporis sequitur diuersitas propensionum naturalium, atqui secundum ætates temperamenta mutantur, ergo & mores. Minor confirmatur Medicorum sententiis, qui adolescentes sanguineos calidos, & humidos. Iuuenes calidos siccos, senes siccos & frigidos constituunt. Quæ temperamenta varia, diuersos in ipsis procreant mores. Adolescentes enim sunt hilares, iuuenes iracundi, senes rixosi, quæruli. Neque tantum hæc temperamenta immutantur per ætates, sed etiam per tempora anni, vt etiam Medicorum scriptis potest confirmari: Nam in variis temporibus dominantur varij humores in nostris corporibus. Hyeme pituita quæ est frigida & humida: verè sanguis calidus & humidus. Æstate bilis calida & sicca: Autumno humor melancholicus frigidus siccus. Cùm ergo temperamenta mutentur secundum anni tempora, & inclinationes mutabuntur. Quò istis respondeamus argumentis, dicendum inclinationes naturales hominum non mutari, omnino pro diuersitate ætatum, aut temporum anni secundùm speciem, sed tantùm ratione gradus: Nam ea quæ sunt in corpore manent eadem toto vitæ decursu secundum speciem, sed variantur secundum gradus. Ad argumentum autem de complexione, duplex est complexio, vna est radicalis, & primigenia altera accidentaria siue acquisita ex Gal. lib. de

tempera. Hæc mutari poteſt ſecundum ætates & tempora anni, illa autem nequaquam. Quare ſi quis natus ſit frigidus ſiccus, proindeque melancholicus, talis erit ſemper propenſione naturali, licet ſit futurus hilarior in adoleſcentia, quam in aliis ætatibus: erit tamen minùs hilaris, quàm ſanguineus. Secundùm ergo gradum diuerſi ſunt mores in variis ętatibus: complexio namque primigenia ſua petitur latitudine, ſecundum gradus, ergo immutata mutabit grádus pari modo.

TEXTVS.

QVi verò ex feris ſpeculantur naturales mores, non rectè ſanè ex ſignis ratiocinantur, quandoquidem ſingulorum naturas inueſtiganti minimè licebit dicere, qui huic corpore ſimilis eſt, illum continuo eidem etiam anima futurum ſimilem.

Primò ſiquidem vt paucis abſoluam hominem beſtiæ ſimilem nequaquam eſt inuenire, licet quodammodo eius referat lineamenta, ſecundò verò animalia pauca quidem habent peculiaria ſigna, plurima verò communia. Quòd ſi quiſpiam animali alicui ſimilis ſit, non ſecundùm proprium ac pecualiare ſignum, ſed ſecundum commune, quî fieri poteſt, vt huic quàm ceruo dicatur ſimilior? Veriſimile nãque eſt, vt particularis ſigna, quidpiam peculiare ſi-

gnificent, communia verò cõmune. Quãobrem cõmunis signa nihil Physiognomo aperiũt. Quòd si quis vniuciuisque brutorum, propria aggrediatur consideranda, nullum sanè assignabit, quod talia sortiatur signa, vt ex ipsius proprij ratione licet colligere, quandoquidem ne vnum quidem proprium inest animalibus illis, de quibus mouetur controuersia. Id autem in ipsorum animalium naturis facile comperiat quis. Nec enim ex animalibus solus leo fortis est, sed alia multa, sicuti nec solus lepus timidus, sed alia innumera.

SCHOLIA.

Refellit eorum opinionem, qui ex similitudine illa quam habent corpora belluarum, cum corporibus humanis nittebantur, perquirere hominum inclinationes. Primò ad probandum mores alicuius hominis esse similes bruti alicuius moribus, esset necessarium corpus illius animalis omni ex parte esse simile hominis corpori. Atqui nullum hominis corpus est omni ex parte simile corpori bruti, ergo non licet ex similitudine illa iudicare de moribus. Si quis opponat Satyros, & Pigmeos, qui humanam referunt effigiem, posse esse similes alicui homini, hoc licet concedi possit, non sequitur tamen omnino esse moribus similes. Secunda ratio Aristotelis huiusmodi est. Physiognomia tota sita est in signis sensibilibus

dignoſcendis: ex quibus colligit propenſiones naturales hominum. Signa autem ſunt aut propria aut communia, quæ à Gal. dicuntur propria vel inſeparabilia. Siquidem ex communibus ſignis ſuas texuerit ratiocinationes aliquis, non erit demonſtratiua argumentatio. Nam demonſtratio ex propriis, & neceſſariis conſtat ex Ariſtotele lib. 1. de demonſt. Neque certè rationi conſonum eſt, ſi ceruo cum cane aliquod ſignum eſt commune, illud magis ſignificare mores cerui quàm canis: vt enim propria ſigna aliquod peculiare denotãt, ita communia commune, quæ Phyſiognomo nullo modo commoda eſſe poſſunt Ex propriis autem ſignis nullo pacto quidquam inferi poteſt. Nam ſi illud ſignum ſit commune tali animali cum homine, iam proprium non eſt: neque vlla talia inueniri poſſunt: Nam ſolus leo non eſt fortis, ſed & elephas & aper, multaque alia animalia. Pari ratione ſolus lepus non eſt timidus, ſed ſimia. Quare nullum poteſt dari tale ſignum proprium, inter illa animalia moribus ſimilia. Ex quo liceat colligere, morum ſimilitudinem, fortitudinem ſcilicet aut metum. Adde quòd in omnibus fere ſimiles, diuerſis exiſtunt moribus, vt experientia patet: vnde colligitur difficultas huius doctrinæ. Nec tertiam opinionem exiſtimat Ariſtoteles, dignam reprehenſione.

TEXTVS.

SI igitur nec communia nec propria ſigna conſideranti euidens ſit coniectura, friuola

sanè erit in singulis animalibus consideratio: ac proinde ex hominibus ineunda est nobis signorum collectio. Ex hominibus inquam qui similem affectum cum animalibus brutis patiuntur. Vt si quis animalis fortis signa rimetur, oportet vt animalia omnia quæ fortia sunt in vnum congerens adamußim consideret qualia videlicet illis insigna sint & affectiones, aliorum autem nemini. Iam verò vbi collegerit, & esse fortitudinis signa, selectioribus illis animalibus, nec fortitudinem esse solum communem animæ affectum, sed aliud quidpiam adhuc in dubium vocabitur, sintne signa illa fortitudinis, in alterius quod diximus esse etiam animæ affectum. Oportet itaque ex plurimis animalibus nec alium communem affectum, cuius ratione poßint signa illa in controuersiam venire, in animo habentibus ratiocinari.

SCHOLIA.

DVplicem contemplari possumus comparationem animalium cum homine, vnam vnius animalis singularis: alteram multorum. In prima comparatione, neque ex signis propriis, neque ex communibus licet argumentari in similitudine morum animalium cum hominibus. In secunda licet per quandam analogiam, & proportionis similitudinem. Explicat autem modum quo

poſſit illa ſimilitudo fieri: nempe aduertantur animalia omnia, quæ communem habent aliquam propenſionem, deinde ſigna propria illius propenſionis, in quibus ſi aliquis homo reperiatur ſimilis illis animalibus moribus, etiam conſimilis iudicandus quadam proportione. Illa autem animalia bruta inter ſe magis ſimilia ſunt moribus quàm cum brutis homo. Quòd animalia inſtinctu naturali ferantur, potius quàm apprehenſione & imaginatione. Homo verò libere fertur in obiectum propoſitum. At quo pacto illa ſigna multis animalibus communia, propria dici poſſunt. Reſpon. comparata cum diuerſis illis animalibus illa ſigna ſunt communia, propria verò qua ratione in illis multis animalibus vnicam rem ſignificant & ſolam. Quæ ita debent aptari rei ſignificatæ, vt fortitudini, vt nullam aliam ſignificare poſſint, vt dolor punctorius lateris, difficultas reſpirationis, tuſſis & febris continua: licet pleuritidis ſint tantum inſeparabilia ſiue communia, iuncta tamen ſimul propriè ſignificant pleuritidem. Eodem planè pacto Ariſto. cap. 5. lib. Phyſiogn. tradit ſigna animalis robuſti & fortis pilorum aſperitatem, corporis erectam figuram, oſſa, coſtas, ſicut etiam extrema corporis membra robuſta ſimul & magna, vẽtrem latum atque breuem, ſcapulas etiam latas & multum à ſe iunctis ſeparatas, ceruicem robuſtam nec multùm carnoſam, pectus latum & corpulentum carneum, bene compactas coxas, &c. Ex quibus ſimul iunctis fortè aliquod animal pronunciant Phyſiognomi. Sed oportet illa ſigna ita eſſe fortitudinis, vt nullam aliam propenſionem

ſignificent. Nam ſi aliam denotarent, eſſet animus in dubio num eſſent illa ſigna fortitudinis, aut alterius propenſionis.

TEXTVS.

Manifeſtum etiam eſt, quod animæ facultatibus, ſimiles formæ corporibus ipſis accedunt. Quamobrem quæ in animalibus ſimilia ſunt, & eadem aliquid idem ſignificant. Sed nec ea quibus animalis afficiuntur proprij vniuſcuiuſque generis affectus ſunt, ſed aliquando communes. ad opera & actiones proprias, propriæ deſiderantur in corporibus diſpoſitiones, ad communia opera communes. Com*munia ſunt incontinentiæ venereorum immoderatio, conueniunt enim pluribus, & ferè omnibus. Igitur armentorum contentio & pugna eſt aliquid commune, aſinorum & ſuum commune, etiam maſticare, veneream rem peragendo. Proprium verò in canibus contumelia, in aſinis ſtupiditas. At quemadmodum proprium atque commune diſtinguendum, dictum iam eſt.*

SCHOLIA.

Alia eſt conditio ſignorum ſumpta ex diuerſitate partium corporis, ſecundùm ſitum il-

larum: quæ enim capiuntur ex locis eminentissimis corporis, ea firmiora sunt: distinguit autem totum corpus in quatuor regiones, nempe à summo capite vsque ad pectus, in qua primus locus debetur oculis, secundus fronti, tertius reliquis faciei partibus. In secundo loco collocantur partes pectorales à capite infimo vsque ad imum ventrem. Tertium locum assignat cruribus & pedibus. Quartum autem ventri imo. Ex quo nimirũ vsum capit ad coniecturam Physiognomicam, ex aliis autem locis ducit signa firmiora, prout sunt superiores partes aut inferiora loca.

TEXTVS.

QVæ igitur signa constantia sunt ac permanentia stabile quid significant, quæ verò nunc adsunt nunc absunt, atque deficiunt qui fieri potest, vt id verè significet, quòd nequaquam in animæ moribus perseueret. Si verò stabile quidem quod poßit adesse ac interdum deficere aliquis contempletur signum, fieri potest vt aliquid verum significet, incertum tamen, nisi id tale signum protinus consequatur. Cæterum (vt in summa dicam) vnico signo esse contentum, illique animo acquiescere stultum est. Dum vero plurima in vnum conspirantia signa de aliquo fidem faciunt, merito aliquis existimauerit ea verum significare.

SCHOLIA.

Recenset conditionem signorum quæ occurrunt in iudicio Physiognomico. Sunt autem duplicia signa permanentia & fugacia, vt rubor faciei innatus est signum permanens alicuius propensionis, nempe hilariatis. Rubor autem faciei ex verecundia contractus est fugax, idcirco non potest necessariò aliquid significare. Physiognomia est scientia, omnis vero talis progreditur ex certis & necessariis, ergo qui profitentur doctrinam Physiognomiæ perquirunt certa & non fugacia. Illa autem sunt talia, vt omni tempore in corpore bene cõstituto maneãt firmiter fixa illa signa nõ sũt talia, tamen ex illis præexistentibus, possumus timidum esse hominem ipsum intelligere: cùm potissimum talis modus sit peculiaris illi qui in speculationibus, ac Philosophia fuerit maximè exercitatus. Siquidem ex nonnullis positis tertium necessarium colligere, solius credimus esse Philosophiæ, quandoquidem non licet omnibus ex perturbationibus de animæ vitiis ferre iudicium.

TEXTVS.

IN vniuersa collectione signorum alia signa, aliis magis expresse rem de qua agitur declarant, verum euidentior sumitur coniectura ex illis signis, quæ in eminentissimis locis sunt collocata. Eminentissimus autem locus est, qui

circa oculos, frontem, caput, atque faciem protenditur, secundas verò obtinent partem, quæ circa pectus humerosque locantur. Tertias crurum atque etiam pedum ipsa obtinet regio. Nam quæ ad ventrem spectant partes ad coniecturam sumendam minimè sunt ex vsu.

SCHOLIA.

QVia hæc facile intelligi possunt, non agent explicatione.

TEXTVS.

POrrò quæcumque affectiones ipsi animæ hærent, corporis signa, quibus Physiognomi solent vti, non immutant: ea prorsus arti incognita sunt, vt puta opiniones, & scientiæ, quæ nec à Medico nec à cytharedo fieri potest vt cognoscantur. Etenim qui disciplinæ cuiuis operam nauat nihil ex signis commutat, quæ à Physiognomo considerantur. Definire igitur conuenit circa quas res Physiognomia versatur, quandoquidem non circa omnia. Præstituendum item ex quibus singula signa sumantur, atque ideo magis perspicua & certiora explicare erit commodum.

SCHOLIA.

IN hoc textu contendit probare Aristoteles circa habitus animæ studio comparatos non versari Physiognomiam, quoniam circa illa versatur Physiognomia, quæ corpori signa mutant per se, ergo illa non cadunt in considerationem Physiognomiæ. Diximus (per se) nam Mathematicus propter assiduum studium corporis malum potest contrahere, pallorem, & multa alia accidentia, quę non oriuntur ex temperamento & cõstitutione naturali corporis, sed ex studio & labore, at Physiognomus est naturalis speculator, qui ex his quæ naturaliter in corpore lucent, venatur animi mores innatos. Ergo Physiognomia non agit de ijs quæ nascuntur ex habitibus studio comparatis. Dubium tamen occurrit in hac propositione. Nam Rhasis in sua Physiognomia describit signa Philosophi, structuram erectam, habitus corporis mediocritatem inter crassum & macilentum, albedinem cum rubore permixtam, capilli eius seruant mediocritatem in omnibus accidentibus, planas manus, digitos ablongos & separatos, &c. Atqui Philosophia est mentis habitus labore & studio comparatus, ergo Physiognomia contemplatur, etiam animæ habitus labore acquisitos Respon. illa signa esse eius qui aptitudinem ad Philosophiam capescendam habet, non eius qui sibi habitum Philosophiæ labore comparauit.

TEXTVS.

EST autem optimus modus & breuissimus, qui est ab apparente conuenientia, & contingit eo modo vtentem multa dignoscere. Et non solum vtile est vniuersaliter, sed ad electionem signorum singularium. Siquidem quicumque iudicat, oportet vt vnicuique suam conuenientiam assignet. Quod est obseruandum in collectione signorum, & in Syllogismo, quo est vtendum, dum aliquid forte fortuna sæpe nobis obtulerit, adiungentes, & copulantes conuenientibus conuenientia. Vt si inuerecundus sit & parcus, fur & illiberalis erit.

SCHOLIA.

POstquam Aristoteles descripsit qualitatem signorum, nunc inquirit alios modos cognoscendi propensiones insitas, & hi duo sunt modi ab Aristo. descripti, qui parum inter se differre videntur primus continentur in hoc textu, secundus explicatur in sequenti.

TEXTVS.

EST etiam alius modus quo possimus inuestigare naturas, cuius adhuc nemo fecit peri-

culum. Quemadmodum si necessum sit iratum hominem, tristem, animoque demissum continuò inuidum esse.

SCHOLIA.

HIc modus à superiori parum differre videtur, in illo namque ex vna propensione aliam colligit, vt si sit inuerecundus fur esse poterit, si sit multiloquus & mendax, per quandam conuenientiam quam appellat decentem venustatem. Quod non tantum intelligitur in collectione, & in syllogismo facto ex vna propensione in aliam, vt si sit parcus, est illiberalis. Sed in ratiocinatione etiam ex signis, vt cùm scribit in hoc opere, qui tibias plusquàm rationi conuenit habent prolixas, & quasi parum distortas deliri sunt & impudentes. Ait etiam id quoque ad decentem venustatem referri, tamen in illa conformatione nulla venustas: sed decet delirum & impudentem ita efformari. Preterea conuenientia & decentia significat collectionem rationi consonam, & probabilem, vt scilicet inuerecundus sit fur. omnis enim fur non veretur quæ aliena sunt rapere, vnde probabiliter sequitur, vt qui inuerecundus sit, fur habeatur; & parcus, illiberalis. In hoc modo posteriori fit collectio necessaria ex vna animi propensione ad aliam. Vt si quis ponat ex Hipp. in Aph. melancholicum aliquem metu & mœstitia affici, ita connectet ratiocinationẽ fere necessariam: melancholici metuunt, quia penuria spirituum, & caloris innati laborant, quippe frigidi

& ſicci, imaginantur mala futura, ſentiunt namque illum defectum caloris & ſpirituum; in quo mali & mortis cauſa eſt vt enim vita ex Ariſto. de longit. & breuit. vitæ, conſiſtit in humido naturali & calido: ita mors aduenit, per frigidum & ſiccū, contrariarum namque cauſarum effectus ſunt cōtrarij. Mœſti etiam fiunt ex præſentia illius defectus, omnis enim defectus præſentis mali, mœſtitiam parit. Deſiderant videre obſcura, propter ſimilitudinem loci obſcuri cum ſpiritibus obſcuris, vnde accidit vt lucida odio proſequantur. prudentes habentur quod iracundi non ſint, & voluptatibus dediti; Cùm etiam ſint deliberando tardi, optimi conſolij exiſtimantur. Et quia frigidi & ſicci, caſti, moroſi, cœlibes, parci, auari, omnia namque ſibi defutura exiſtimant, propter defectum caloris, quem ſentiunt laboribus addicti, voluptates namque aſpernantur, conſtantes & in opere perſeuerantes, propter exceſſum ſiccitatis bibaces ſunt vtcumque propter ſiccitatem abundantem. Sin autem ſuccus melancholicus fuerit conuerſus in atram bilem, ſunt ferinis moribus præditi, quia cùm eorum anaritia ſatiari nō poſſit, malè habent ex bonis alienis; ſeditioſi, malitioſi, hominum oſorus, maniaci. Atque hæc omnia fere colliguntur ex vna propoſita propenſione.

TEXTVS.

OPortet autē vt in his longa conſuetudine ſit verſatus, qui rectè ſingulorum rationē ſit redditurus. Verùm quoniam ea quæ in corpo-

ribus conspiciuntur dicuntur ad similitudines quasdam referri, ad similitudines inquam, quæ ducuntur ab animalibus & ab eorum actionibus. Aliam enim corporis constitutionem caliditas, aliam verò frigiditas solet inducere. Etenim eorum quæ in corporibus conspiciuntur nõnulla sunt quæ paruo discrimine distant eodemque nomine nominantur. Atque huius generis sunt pallores, quorum vnus quidem ob timorẽ, alter vero ob immensos labores fuit generatus. eodem siquidem nomine color vterque nominatur, differentia non magni momenti interiecta. Parua igitur differentia cùm sit, non facilè quis illos colores discernat, nisi ex consuetudine ipsius formæ, id quod conueniens est inuestigarit.

SCHOLIA.

IN omnibus artibus opus est longa exercitatione & vsu, ergo & in physiognomico iudicio. In quo aduertendum ne similitudo affectus nobis fucum faciat, similia enim eadem non sunt, vt ex Aristo. in metaph. patet, vt pallor natus ex morbo, & ex timore. Quare ad distinguendos hos pallores opus est longo vsu & assidua exercitatione.

TEXTVS.

IGitur Physiognomia, vt ex ipsa ratione vocabuli licet collígere, circa naturales, insitos-

que animi versatur affectus, atque etiam circa acquisititios, cæterũ qui notis ac signis dignosci possunt. Quæ vero sunt eiusmodi signa in progressu sermonis dicetur: verumtamen ex quibus generibus singula signa sumantur, iam nunc dicam.

SCHOLIA.

EX nominis interpretatione deducit Physiognomiæ descriptionem, φύσις namque est natura, & νόμος regula seu lex quod versatur in affectibus & inclinationibus dignoscendis, per ea signa quæ in corpore firmiter fixa, & à naturali constitutione pendent, tum circa acquisitas propensiones, quæ possunt certis notis ac signis dignosci. Ea enim esse debent, quæ illas corporis dispositiones permutant, quæ signa sunt Phisiognomiæ in moribus dignoscendis. Vt qui hilaris erat, longiori morbo vexatus in melancholiam affectum mutari potest. Cuius affectus signa cum remaneant in corpore, & ex his à Physiognomico possunt dignosci affectus melancholici, cadet ille affectus in cognitionem Physignomi, licet sit acquisititius. At diximus Physiognomi officium esse naturales propensiones dignoscere, & non acquisititias. Respon. propensiones acquisititias esse duplices, aut enim acquiruntur per actiones laudabiles aut vitiosas, aut accidunt homini mutatione temperamenti, vt per ætates & morbos. Licet ergo dicãtur illæ propensiones acquisititiæ comparatione

comparatione facta cum his quæ nobiscum oriũtur, tamen quia pendent à temperamento insitæ dicuntur quodammodo.

De methodo, quam in hoc libro obseruabimus.

Doctrinæ ordo postulat, vt ab his quæ magis cognita sunt ad ea quæ sunt minus perspicua progrediamur. Atqui faciliùs cognoscũtur viuersalia ex c. 1. l. 1. ph. & vnum signum quàm plura. Quã ob causam facilitati doctrinæ studentes inuertimꝰ Aristotelis ordinem: Is namque ordinem resolutorium est sequutus, qui doctioribus est accommodatus. Nostræ verò erant partes, quando docentis officium suscepimus, ea progredi methodo, quæ facilior existeret. Quare explicatis vniuersalibus & singularibus signis, quæ significant hominum propensiones, ad complexa indicia gradum faciemus.

TEXTVS.

SVnt prorsus omnia, siquidem ex motionibus, ex figura, ex coloribus, ex ipsius faciei accidentibus, ex leuitate, ex voce, ex carne, ex membris ipsis, quid multis? ex tota corporis conformatione, animalium naturas inuestigãt, hæc igitur in vniuersum existunt; quæ acerrimi naturarum speculatores signa generum omnium pronunciant. Etenim *si indistincta incultáque commentatio hæc esset futura, sufficissent reuera, quæ a nobis explicata sunt. Nunc vero*

multo ſatius videtur exponere quæcũque ex eis quæ conſiderantur, facilè colliguntur, addentes præterea, ſi quæ alia ſigna ſunt in ſuperioribus nondum expoſita.

SCHOLIA.

HI ſunt fontes & veluti loca ex quibus deducuntur ſigna morum & propenſionum. Hęc verò ſigna ſunt ſenſui perſpecta & cognita, vt motus, figura, color, accidentia faciei in quantitate & qualitate, leuitas, vox & alia eiuſmodi. Ex quibus ſignis fit progreſſus ad temperiem hominis, à temperie autem, ad inclinationem inſitam. Mores enim vt iam dictum eſt ex Galeno ſequuntur temperiem corporis. Cæterùm ex his ſolis colligi nihil certò poteſt, ſed ex pluribus iunctis ſimul, tamen oportet primò de ſimplicibus, deinde de compoſitis ſignis agere, ordine doctrinæ & compoſitionis. Verum quo pacto ex figura ad temperiem poteſt fieri progreſſus, ſeu ratiocinatio, vna enim eſt figura in omnibus indiuiduis alicuius ſpeciei, & tamen diuerſum eſt vniuſcuiuſque indiuidui temperamentum: Quare à figura non poteſt duci indicium temperamenti, præſertim cum Ariſtoteles, & ratio ipſa voluit & iubeāt in Phyſiognomia ratiocinandum ex proprijs, non ex communibus ſignis. Reſpon. in figuris indiuiduorum duo conſiderari, figuram qua diſtinguntur ab indiuiduis aliarum ſpecierum, & figuram particularem, cuius gratia inter ſe indiuidua eiuſ-

dem speciei separantur quibusdam lineamentis partium corporis; nulli enim homines possunt inueniri omni exparte similes; primo modo, figura est signum commune, secundo peculiare aliquid demonstrat, quod nascitur ex temperamento, Nam figura pendet ex formatrice facultate, formatrix autem vtitur temperamẽto in efformãdo, tanquam instrumento proprio; vnde hæc figura particularis vt Anthonij est effectus talis tẽperamenti. Ab effectu ergo ratiocinando ad causam ex figura peculiari temperies iudicatur, & ex temperie propensio colligitur. Quare ex figura hominis particulari, possumus intelligere illius propensionem.

TEXTVS.

NVnc tamen dabimus prius operam, vt ex animalibus ea potissimum distinguamus ob fortitudinẽ, timiditatem, iustitiã ac iniustitiam meritò sunt distinguenda. Porro vniuersum animalium genus in duas potissimum formas venit nobis digerendum, quarum altera quidem masculi, altera verò fœminæ nomen accepit. Est itaque nobis, quidquid vtrique formæ conueniat (sunt enim similes) assignãdum Si igitur ex animalibus brutis mansuetiora domi apud nos educarimus, cognoscemus sanè fœminas, quod ad animæ vim spectat, masculis ipsis molliores, minúsque robustas, licet alimẽ-

ta, ac educationem fœlicius excipiant. Quocirca facilè ex his colligitur, fœminas masculis timidiores esse. Quod etiam in nobis est satis perspicuum. Nam si quando ab animi vincamur impetu, difficillimi persuasu videmur, adeo vt nusquam quispiam credamus esse, sed ad vim aliquam inferendam, facessendumque negotiũ arripimur, quo nos atrox insitat animus. Cæterum videntur mihi facinosiores ipsæ fœminæ masculis, petulentioresque. Ad hæc magis illiberales, magisque impotentes. Mulieres siquidem ac reliqua fœminea animalia, quæ in dies apud nos educantur, talia manifestæ sunt. Quæ verò per siluas discurrunt, omnes tum pastores, tum venatores etiam, non aliter habere quàm diximus confitentur.

SCHOLIA.

LOcus est generalis dignoscendi inclinationes insitas à sexu ductus: Mas namque à fœmina propensionibus differt. Id probat ex educatione quæ fit in cicurandis animalibus; omnibus enim compertum est fœminas esse molliores maribus & secundum corpus & secundum animum: Ratione corporis quia humidiores, quod autem magis humidum est, est & magis molle. Secundum verò animam, propterea quod sunt frigidiores, minúsque habent caloris innati, & spirituum. Vnde

colligit ratiocinatione quadam Aristoteles esse debiliores tum timidiores, propter penuriam caloris innati. Idem probat ex masculorum naturali implacabilitate, difficilimum enim est si masculi irascantur, eos mitigare; fœminæ autem faciliùs mitescunt. Item fœminæ sunt magis pronæ ad facinora perpetranda, suntque petulantiores & magis illiberales & impotentes, Aristoteles id probat experientia, ex his quæ educãtur domi animalibus, & ex relatione pastorum, tum venatorum. Sed hæc non satis sunt ad probandum id quod scripsit de fœminis in vniuersum, neque in particulari. Eorum forsam esse poterit hæc demõstratio. Ratio non æque dominatur mulierum appetitui atque hominum, quare faciliùs vincuntur & feruntur ad passiones animi quam masculi, sunt ergo facinorum magis excogitatrices & petulantiores, quòd minùs rationis fræno cohibeantur, defectu tamen roboris & virium minùs exequũtur ea, quæ meditantur mala. Consciæ itaque debilitatis dissimulant venenum quod animo continent, & insidias instruunt dum plorant, lachrymásque aliquando fundunt præ mœrore quem concipiunt, ex eo quod exequi non possint crudeliter quæ flagitiose decreuerunt. Reliquo textu signa sexus fœminei & masculei describit, quod dignoscantur ex masculis; qui magis propendent in fœminarum, aut masculorum naturam, hoc loco legendum est, quod tradidimus in Physiologia de causis distinctionis sexus.

TEXTVS.

IMo vero ſi altius rationẽ velimus exquirere, id etiam manifeſtum eſt, quandoquidem in omni animalium genere fœmina maſculo minus caput ſortitur, faciem anguſtiorem, magis tenuem ceruicem, pectus imbecillius, minùs firma latera, coxas ac fœmora corpulentiora. Ad hæc fœminæ plana ſortiuntur genua, tibias habent graciles, ſicuti pedes elegantiores. At ipſam corporis formam magis gratam, quàm generoſam fœminæ nanciſcuntur. Et vt paucis abſoluam, magis enerues, magiſque languidæ, ſemper ſunt fœminæ, quippe quæ molliori carne ſint prælitæ: verum maſculi his omnibus contraria vindicant ſibi, nempe genere naturam fortiorem, numeriſque multis iuſtiorem, fœminæ autem tum timidiorem tum iniuſtiorem naturam ſortiuntur.

SCHOLIA.

EXplicatis in genere propenſionibus vtriuſque ſexus, primò deſcribit ſigna quibus dignoſcantur; & tandem ſingulari exemplo leonis & pardalis docet differentiam vtriuſq;. Certe fœminã à viro ſeparari & diſtingui omnes norũt, inter viros autẽ internoſcere qui viri naturã verè retineãt quĩ

aut ad mulebrẽ deflectant, ſolius eſt Phyſignomi. Huius diſcriminis ſigna Ariſtoteles prodit, à quátitate capitis exorſus. Fœminæ maculo minus caput ſortitur. Ariſtoteles c. 7. l. 2. de part. anima. ſcribit hominem inter omnia animalia plurimũ cerebri abere, proportione ſui corporis, & inter homines, mares plus quàm fœmines, plus autem cerebri maius requirit caput, ergo viri habent caput maius, quàm mulieres. Hoc autem contingit propterea quod ad operationes quas exercet fortiores indiget maiori copia ſpirituũ. Oportet præterea neruos eadem ratione maiores eſſe in viris quam in mulieribus. Cæterùm decet fœminam cõparare cum certo homine, vel ſi id intelligatur in vniuerſum veriſſimum eſt aliquem hominem habere maius caput naturaliter, quàm aliquá mulierẽ. Quare paruum caput fœmineum eſt: Quod neceſſario conſequitur facies anguſta. Ceruix reſpondet proportione capiti. Melius eſt autem interprætari pectus anguſtius quàm imbecillius, quod debilitas ſita ſit in facili iniuriarum receptione. Mulier autem licet viro debilior, tamen morbis pectoris non eſt neceſſario magis obnoxia. Quare ſatius eſt dicere anguſtius pectus, non tantùm propter caloris debilitatem, ſed etiam ratione conformationis. Nam vt ex Gal. in arte parua colligi poteſt, membra inferiora debent ſequi magnitudinem capitis, fœmina autem cùm ſit frigidior maſculo, & caput minus habeat, neceſſario pectus obtinebit anguſtius, proindeque infirmiora latera, cùm latera fortia non poſſint eſſe, niſi robuſtum exiſterit pectus & amplum, in

fœminis autem est arctum & debile. Coxas verò habent crassiores & carnosiores sententia. Portæ ob alimenti crassiorem substantiam, quæ deorsum vergit pondere suo. Verùm hæc aduersantur his quæ sequuntur, nimirum tibias habere graciles & pedes elegantiores. Cùm enim alimenti pondere accidat, vt nates & coxæ fœminarum sint crassiores, põderosique sit natura semper ad partes inferiores descendere; tibia aute & pedes sint cruribus inferiores, ob eam causã deberẽt esse crassiores coxis. Alia ergo ratio inuenienda; an quòd mulieres sedẽtariam vt plurimùm degant vitam? sedendo autem nates & crura faciunt angulum cum reliquo corpore, in quo sistitur alimẽtũ ponderosum; quod non tantum conspicitur in mulieribus otiosè viuentibus. An vero quod fœtui ferendo ponderoso illæ partes carnosiores sint aptiores? Aut forsan natura hoc pondus dedit mulieri, quod domi maneret bonorum custos. Gratior & venustior mulieris forma efficitur, propter sanguinem frigidiorem, quo gratus ille color cõciliatur faciei, & corporis mollior habitus, propter humiditatem abundantem, propter finem etiam idẽ effectũ est, vt scilicet grata viro ad prolẽ generandã eũ alliceret. Et quia molliores sunt carnes ob copiã sanguinis, & remissiorẽ calorem enerues, magis sunt mulieres quam viri & languidæ: minor namque in illis, vt caloris ita & spirituum adest copia. In viro omnia cernuntur contraria. Sub finem contextus scribit Aristoteles mulierem esse timidiorem & iniustiorem viro, timidior quidẽ propter frigiditatem, frigidi nam-

que timidi fuere iudicati. Iniustior autem forsan malè dicitur, quod timida nullam alijs inferat iniuriam, vnde iusta censeri potest mulier. Huic argumento possumus satisfacere iustitiæ distinctione, est enim species & vmbra iustitiæ illa, quæ timore nemini infert iniuriam, qualis est mulierum. Vera autem iustitia est perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi, ad id non incitante timore, sed virtute. Hæc maxime lucet in viris, illa verò in mulieribus.

TEXTVS.

His igitur ita se habentibus inter omnia animalia, leo ex ipsa masculi idea fœlicissimam sibi sortem accepit; vastum siquidem habet os, faciem vero magis quadratam osseam tamen non minus. Porro superiorem maxillam, non ad anteriora protensam, sed ex æquo inferiori correspondentem. Habet nasum magis crassum, quàm tenuem, formidabiles oculos, atque concauos, nec impensè rotundos, nec oblongos plusquàm rationi cõueniat. Cæterum commoderata præditus magnitudine, supercilia magna, frontem quadratam, circaque mediam regionem, veluti in nebulam quandam degenerat. Siquidem desuper ad ipsas nares pilos habet decliues. Habet præterea leo caput magnitudine commoderatum, ceruicem oblongam, sed crassi-

tie mediocrem, piliſque flauis decoratam, nec horridis, nec reuulſis. Quæ ad clauicularum ſpectant regionem agilia potius quam impedita ſortitur, vegetos humeros, validum pectus, thoracem vaſtum, validis coſtis, ac tergora circumuallatum. Eſt animal macilentum leo, ſi coxas fœmoráque reſpicias. Crura habet robuſta, atque neruoſa, firmiſſimam habet baſim, & vniuerſum corpus adamuſſim neruoſum ac articulatum, nec durum, nec humidum cum exuberantia. Incedit quidem tardè, ſed magna occupat interualla, ac dum ingreditur humeros ipſos commouet. Quantum igitur ad corpus attinet, talis quidem eſt leo. Quantum vero ad animam refert, animal eſt diſciplinæ capax, liberale animoſum, rixoſum, mite, iuſtum, ac beneuolum illis quibuſcum traxit conſuetudinem.

SCHOLIA.

IN vno quoque genere inquit Ariſtoteles reperitur aliquid quod reliquorum eſt menſura. In genere animalium ratione perfectionis animæ eſt homo; ratione ſexus maſculei, & roboris corporis, leo. Sequutus ergo Hippocratis morem docendi, vno ſingulari exemplo docet Ariſtoteles ſigna animalis maſculei, in vniuerſum referendo in hominem, cuius ſigna Phyſiognomica

inquirit. Omnia enim illa signa quæ refert leonis significant abundantiam caloris innati & spirituum, quæ sunt causæ roboris & præstantiæ in animalibus, quæ paulo post sigillatim explicabuntur.

TEXTVS.

Porro Pardalis inter animalia fortia maxime effœminatum est. Quandoquidem crurum ratione alijs omnibus in functionibus est inferior. Nam quod obsecro robustum opus absoluit? Habet enim faciem exiguam, os magnum, oculos paruos albicantes, concauos & tornatiles. Magis oblongam, nec circa aurium regionem sphæricam magis quàm latam, admodum prolixam, ac tenuem ceruicem, languidum pectus, prolixum dorsum, coxas ac fœmora corpulenta. Etenim quæ in regione ventris, iliorúmque sunt, magis plena sortitur Pardalis. Colorem etiam obtinet varium, inæqualem omnino ac immoderatum. Corporis igitur forma talis est. Si verò animæ constitutionem requiras, demißum animal est, fugax & fraudulentum. Quæ igitur animalia magia insignes dotes sortiuntur, quàm ex masculina specie, tum vel maxime ex fœmina, iam à nobis expositа sunt. Reliqua vero alia facilè erit, nunc

etiam ſermone perſequi. Nam quæcumque vtile eſt cognoſci in animalibus ipſis, ad naturarum coniecturam ſumendam, in collectione ſignorum dicentur.

SCHOLIA.

HOc loco non loquitur de Panthera fœmina ſed maſculo, vt oſtendat in maſculis facie ſeu ſpecie multos eſſe, qui ſunt fœmineis moribus prædιti. Cauſa detecta fuit in noſtra Phyſiologia Medicinæ cum ageremus de ſeminum vtriuſque ſexus conflictu & victoria. Ariſtoteles exemplo Pardalis fortiſſimi animalis inter fortiſſima animalia fœminea, docet notas morum mulierum in viris, quorum cauſa proxima eſt debilitas caloris innati.

TEXTVS.

VT igitur ad colores nos conuertamus, viuidi quidem caliditatem ſanguiniſque exuberantiam: qui verò ex albo ſimul & rubro conſlantur (λευκέρυθμοι Græcis dicuntur) ſi modo corpori leni inſint, indolem bonam ſignificant.

Qui admodum nigri ſunt timidi, quod attribuitur Aegiptijs, potiſſimum qui incolunt Aethiopiam. Albi verò pluſquam rationi conueniat, etiam timidi: quod ad mulieres refertur.

Qui ad fortitudinem ducit color, medius inter hos sit oportet. Qui flauo suffunduntur colore magnanimi, vertitur autem leonibus. Qui verò fuluo plusquàm rationi conueniat execrandi, atque exitiosi, quod quidem vertitur vulpibus. Qui pallidi ac perturbati ipso colore videntur, timidi, referũtur ad ipsam perturbationem quæ nascitur ex timore. Qui subuirides ipso colore sunt, iidem sunt perfrigerati, refrigerata autem omnia ineptissima ad motum sunt, quo fit vt cum subuirides sint refrigerati, corporis actionibus sint admodum pigri. Quibus color rubeus est celeres sunt ad actiones, quandoquidem omnes corporis partes ob vehementem motum rubescunt, quibus colore inflammatus atque igneus est, insani: omnes siquidem corporis partes si impendio calidiores reddantur, flammeum colorem acquirunt. Qui verò ad extremum calefactionis perueniunt, merito furiosi dicuntur.

SCHOLIA.

DEscendit Aristoteles ad signa specifica inclinationum naturalium. Et cum constituerit plures locos vnde ducantur, primum attribuit colori, vt qui oculis promptè percipiatur. Color autem qui apparet in facie, & toto corpore significat humorem in corpore redundantem. Scribit

enim Hipp.initio lib.de humoribus, qualis apparet color in cute, talis delitescit humor sub cute, nisi humores retrocedant, vt in timore, vel ad extrema ferantur, vt in verecundia. Ex humoribus autem in corpore dominatum tenentibus, temperamenti sumitur dignotio, nam quale est temperamentum naturale, tales sunt & humores. Si ergo retrocesserimus ex humoribus cognoscemus temperamentum, cognito autem temperamento, animi mores dignoscuntur. Verùm colores intelligere est necesse naturales firmos & fixos ex constitutione naturali corporis pendentes non ex animi, aut corporis motione, vt ira, timore, verecundia, aut alia perturbatione. Et licet fuerit permanens color vt in tyrannica inuidia, quæ pallidos homines efficit, vel contractus ex morbo longo, aut aëris constitutione frigidiore, calidiore, humidiore, aut sicciore. Hi namque colores non possunt mores hominum denotare, quia naturales non sunt.

His ergo positis Aristoteles scribit viuidos colores significare caliditatem & sanguinis exuberantiam, quæ in corpore procreat iucunditatem, liberalitatem, benignitatem, & omnes mores moderatos.

Color ex albo rubescens in corpore leni indolem bonam denotat, inquit Aristoteles, mixta namque est portio aliqua pituitæ cum sanguine, eius calorem retundens, vnde bona indoles ortum ducit. Scribit autem bonam indolem, quòd ille color vix appareat, nisi in pueris, quorum mores indole designantur, vnde pueri bonæ aut ma-

læ indolis dicuntur. Albus color naturalis totius corporis timiditatem significant, & ad fœminam refertur, ex Aristotele; Albedo namque illa ex pituitæ abundantia oritur, quæ frigidum reddit corpus & album: frigidi autem sunt timidi, ob caloris defectum, & spirituum; robur namque ex illis nascitur, & ex virium robore animositas & confidentia. Contraria itaque constitutio timorem parit & pusilanimitatem, cùm vires debiles, penuria caloris non possint malis occurrentibus obsistere. Ex his propositionibus nascuntur omnes fere demonstrationes in Physiognomia, tanquam ex proximis Principijs. Anima quippe librans instrumenti quo vtitur robur & debilitatem, concipit opinionem fugiendi mali, in timore & malo obsistendi in audacia, atque in reliquis affectibus similiter. Album colorem in viris & mulieribus luxuriæ indicium scribit Io. Bapt. Porta ex Aristo. cap. 2. l. 7. de histo. animal. Luxuria est sita in coëundi multa aut frequenti potestate, aut desiderio sanguinei ob copiam spirituum & seminis luxuriosi possunt iudicari; melancholici ob flatuum acrium abundantiam, ab his namque sæpius commouetur, & imaginatio eorum libidinis æstu percellitur, verùm quod careant multo semine, rem veneream parum exercere possunt. Ad hanc sententiam respondemus Aristotelem non scribere albos homines & candidas mulieres esse libidinosiores, sed ob copiam humiditatis plus emittere seminis; At maior libidinis profusio non est nota libidinis majoris, sed copia humiditatis, & licet Suetonius dixerit Cæsarem album fuisse & maxi-

me luxurioſum, non ſequitur inde albedinem eſſe proprium ſignum luxuriæ. Contigit enim in Cæſare vt ſimul elucerent ſigna libidinis & pallor faciei. Poteſt tamen albus color per accidens propenſionem ad luxuriam ſignificare, qua ratione partium generationi dicatarum vehemens calor ad ſe ſanguinem allicit, ex quo exteriora & præſertim facies palleſcunt.

Color niger naturalis timidos demonſtrat ex Ariſtotele. Color autem ille oſtendit ſucci melancholici redundantiam, qui frigidus eſt & ſiccus, calori naturali vtraque qualitate aduerſarius, ex quibus colligitur timiditas propter penuriam ſpirituum, & caloris innati, neque tantum timiditatem oſtendit ſed mœſtitiam ex Hipp. in Apho. Ariſtoteles ſect. 30. probl. quærit cauſam cur omnes qui ingenio claruerunt, vel in Philoſophiæ ſtudijs, vel in Republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis extiterunt melancholici, ex quo facillime colligi poteſt colorem nigrum denotare ingenioſos, ſiquidem ille color fuerit cõmixtus cum ea diſpoſitione quam Ariſtoteles deſcribit, nimirum cum moderato calore, ſin frigiditas ſola adfuerit ſtupidi omnino ſunt & terreſtres. Cum autem referantur ad Aethiopas mores illorum breuiter deſcribendi, ſunt timidi, illiberales: verentur namque ne bona illis deſint, zelotipia laborant, cùm enim libidine falſa exagitentur, ſintque frigidi, timent ne quod obnixè amant, aut amittant, aut commune cum alijs habeant, proinde ſuſpicioſi. Atque hæc omnia defectu caloris innati & ſpirituum contingunt, tum

tum ſpirituum atrore, quæ metum & mœſtitiam, vt in ſuperioribus diximus, pariunt. Deinde ſcribit Ariſtoteles medium colorem inter nigrum & album ſignificare fortitudinem: in quo primum cõtrouertitur, quis ſit ille color. Nam Ariſtotelis ſententia libro de ſenſu & ſenſili, omnes colores reliqui ſunt medij inter album & nigrum: quocirca omnes medij ſignificarent fortitudinem, quod à veritate alienum eſt, vt ex textu ſequenti clarum euadet. Medius ergo color ſit aliquis oportet perfectè ab vtroque extremo diſtans. Media alia ab extremis æque diſtant, alia inæqualiter. Neque eadem eſt ratio extremorum fortitudinis, atque colorum. Licet enim color albus & niger ſignificent timiditatem, oportet vt mixtus ex illis non ſignificet fortitudinem; cum fortitudinis alia extremitas ſit audacia. Nam ſi compares colores cum virtutibus, aut vitijs, quæ ſignificantur per illos, nulla talis ſeruatur proportio. Vt quemadmodum virtutes ſunt ſitæ inter duo extrema vitioſa, ita qui ſignificant virtutes colores ſint medij inter album & nigrum extremos colores. Sed oportet ex cauſis Philoſophari producentibus hos colores in corpore humano. Frigiditas enim extremum eſt vitioſum deficiens, aduſtio ſumma, alterum excedens; medium eſt temperamentum inter frigiditatem & ſummum calorem, quod temperamentum procreat humores temperatos, & mores. Fortitudinis autem nomine non intelligit virtutem habitum, vt videtur velle Porta, ſed naturale robur corporis, quod naſcitur ex neruorum & muſculorum robore, vt in ſequentibus ſit cla-

rum. Atqui robur in firmitate muſculorum conſiſtit, quæ naſcitur ex moderata ſiccitate; quod apparet ex robore maniacorum, qui vt ſiccitate excedunt, ita robore muſculorum ſunt admirabili præditi. Nos autem loquimur de robore naturali non à morbo nato. Fuſcus autem color eiuſmodi naturalis moderatæ ſiccitatis eſt iudicium. Auicen. ſcripſit fuſcum colorem ſignificare caliditatem, in qua audacia & robur. Fuſci ergo homines, robuſti. Id probari poteſt ex populis hoc colore tinctis, qui robore corporis præſtant, quales ſunt Arabes & Iapponenſes ſecundum Hiſtoricos. Sed in hoc ſigno non tantùm progredimur à colore ad humorem, & ab humore ad ſpiritum, & ab ſpiritu ad imaginationem; ſed à tactu ad qualitatem & conſiſtentiam muſculorum, & ab illis ad robur corporis; vt ſi quis carnoſus reperiatur durus carne muſculorum, is poteſt iudicari robuſtus. Nam durities illa ſiccitatem muſculorum denotat, à qua robur corporis proficiſcitur. Deinde ſequitur in textu. Qui flauo aut fuluo ſuffunduntur colore magnanimi, & ad leones referũtur. Flauus color ex albo rubeſcit; vt fuſcus rubeſcit ex nigro. Hic color cùm naſcatur ex vehementi calore & copia ſpirituum, mixtionem bilis & ſanguinis ſubeſſe teſtatur, à qua naſcitur. Quare magnanimitatem oſtendit, cùm tales ſint robuſtis viribus præditi. A bile namque ſicca retinent ſiccitatem in muſculis, ex qua robur corporis, vt dictum fuit. Leo autem ex Ariſtotele in ſuperioribus eſt animal diſciplinæ capax, liberale, animoſum, mite, iuſtum, ac beneuolum, vt hiſtorijs multis probari poteſt. Qui au-

tem, inquit Aristoteles, sunt colore fuluo plusquàm rationi conuenit, execrandi, atque exitiosi, qui referũtur ad vulpes. Qui hoc colore tinguntur, biliosi existunt à prædominio: calidi ergo & sicci, quorum spiritus mobiles sunt, & ideo mobiles in opinionib. facilè concipiunt quæ audiunt. Iracundi, inconstantes, in negotiis astutias quærunt & fraudes, honoris veri parum solliciti, illis satis est dummodo astutiis possint apparere hominibus sagaces. Illi hoc tempore habentur homines habiles & prudentes. Æneas ruffo colore proditor fuit patriæ. Mession ruffus extitit execrabilis. Pertinax parenti manus intulit violentas. Iudas ruffus depingitur, licet sapiens vt astris potest dominari, ita & naturali propensioni: libera namque est nostra voluntas, quæ potest sequi illos naturales igniculos, aut illis aduersari. Subuirides sunt perfrigerati, perfrigerata omnia ineptissima ad motum, quare corporis actionibus sunt admodũ pigri. Alij mellino colore affecti vertunt, vt Porta, lacuna retinet nomen subuiridis, tales sunt melancholici, & quodammodo bile corrupta tincti, ex dominio scilicet melancholici humoris, & bilis corruptæ, horum ergo spiritus sunt frigidi & sicci, inepti ad motum. Timidus ergo iudicandus qui tali colore præditus est, honoris contemptor, solitarius, eluo. Voracitas enim ex dominio siccorum humorum, qui acidi redduntur. Potest etiam proficisci ab aliis humoribus acidis, nam aciditas famem prouocat. De significatione rubei coloris diximus in superiorib., tamen addit Aristoteles hoc loco ab eo colore demonstrari actionum celeritatem. Probat ex eo

quod motu impetuoso agitatæ partes corporis rubescant. Nam motus vehemens corporis ipsum calefacit, sanguinem attenuat, & ad superficiem corporis impellit. Quod autem efficit motum, potest præstare abundantia sanguinis significata per rubedinem. Subdit præterea qui calore sunt inflammato & igneo insani putantur. Nascitur nâque ille color à magno totius corporis incendio, vnde spiritus flammei perturbant mentem, qui si maiorem calorem concipiant, reddunt homines furiosos & maniacos, nascitur namque mania á cerebio inflammato. Cassandra, vt referunt, flammeo fuit colore, & oculis collucentibus, proindeque maniaca. Ex his facilè explicabuntur quæ ab Aristotele describuntur de coloribus partium corporis.

TEXTVS.

Qvibus pectus rubet iracundi, ad ipsum affectum refertur, siquidem iriscentibus pectora rubra redduntur. Quibus circa collum ac tempora venæ turgent ac intumescunt iracundi, ad ipsam refertur perturbationem, nam similia accidunt illis qui irascuntur. Quibus facies rubet & purpurea est verecundi, id ipsumque affectum refertur. Nam ipsis qui verecundia perfunduntur, redditur facies purpurea & potissimum frons. Quibus malæ rubent temulenti, referuntur ad ipsam intemperantiam, temulentis siquidem malæ rubent.

Quibus oculi rubent, facile in iram furoremque rapiuntur, refertur ad ipsum affectum. Nam qui ira aliqua sunt commoti protinus rubent oculis. Quibus oculi valde nigri, timidi sunt, diximus enim valde nigrum colorem signum esse timiditatis. Qui admodum nigri non sunt, sed ad flauum declinant optimam animi constitutionem sortiuntur. Quibus oculi cerulei, aut candidi sunt, timidi existunt, cùm nimirum ostensum sit, album colorem timiditatem significare. Qui verò non glaucos oculos sed splendidos nanciscuntur, iidem sunt animosi, referuntur ad leonem, & aquilam. Quibus oculi vinosi sunt, edaces, referuntur ad capras. Quibus oculi ignei sunt impudentes, referuntur ad canes. Qui pallidos oculos habent, eodemque quasi commotos timidi, refertur ad affectum, quandoquidem qui animo sunt perculsi, pallidi fiunt, nec habent certum colorem. Qui oculos habent splendidos lasciui ac libidinosi, quod ad gallos & coruos refertur.

SCHOLIA.

PAuca in hoc textu supersunt explicanda quoniam Aristoteles probauit omnes fere has propositiones per similitudinem affectus, quod tamen videtur reprehendisse in superioribus, cum scri-

bit, multos dissimiles moribus, eadem tamen habere vultus accidentia, & magnanimum & impudentem, qui licet præ se similem ferant vultum, moribus tamen sunt maximè differentes. Respon. Aristotelem negare in vniuersum posse duci certum inclinationum argumentum ex accidentibus quæ apparent in passionib. animi, nihil tamen vetare in aliquo motu animi, aut pluribus eadem accidentia apparere, quæ notantur in iis qui nulla afficiuntur animi perturbatione: & propensiones vtrorumque esse similes. Vt iratus pectore rubet, & qui pectore rubet sine iracundia, est pronus ad irã. Accidens ergo simile in vtroque significat eandem propensionem in pluribus, sed non in omnibus.

TEXTVS.

QVibus oculi rubent, facile feruntur ad iram.

SCHOLIA.

QVæruntur hoc loco oculorum colores ad significationes naturalium propensionum, & affectionum præter naturam. Hip. in epidem. scribit vt valent oculi, ita & totum corpus, quod oculis affectiones corporis facile communicentur, propter eorum luciditatem, sunt enim veluti gemmæ, in quibus vitia & sordes maximæ apparent. Cùm autem Physiognomia perspexerint oculos hominum esse vario modo coloratus, inquisierunt

colorum varias significationes. Nam cùm facile communicent cum reliquo corpore, putarunt se posse assequi ex vario illorum colore causas propensionum. Maiorem tamen hoc habet probabilitem in dispositionibus præter naturam corporis. Nam si corpus redundauerit bile, oculus fit auriginosus, atque eodem pacto in reliquis morbis. In naturalibus non perinde. Nam colores oculorum aut apparent in cornea, quæ album oculi constituit, aut in pupilla, in cornea res non se habet simili modo, ac in cute reliqui corporis: Nam cùm sit densa & exiguis paucisque venis prædita, non potest, facile referre colores delitescentium humorum in constitutione naturali: tamen in excessu tēperiei potest aliquando id contingere, vt in iis qui flammeos habent oculos & vinosos. In iudicio autem colorum pupillæ, certa coniectura temperamenti neque qualitatum spirituum sit est, vt videre est ex sententiis authorum. Aristoteles enim c. 1. l. 5. de gener. ani. ad lucem maiorem aut minorem oculi refert. Vt etiam Galenus ferè sentit in arte parua. Auicēnas ad diuersos colores interioris partis vueæ refert. Quam opinionem est amplexatus Vesalius c. 14. lib. 7. fabricæ corporis humani. Ex quibus ad temperamentum, admodum debilis coniectura trahi potest. Experientia ergo quæ pronunciauit Aristoteles de oculis, potius & obseruatione sunt stabilita, quàm demonstratione.

TEXTVS.

QVibus oculi vinosi (vt vertit lacuna) stolidi sunt, referuntur ad capras.

SCHOLIA.

POrta non vult legendum οἰνωποί, vinosi, sed αἴνωποι subglauci, quales sunt caprarum contendit verò lacuna vinosos significare edaces. Alij dicũt subglaucos esse potiùs ouiũ quàm capraum, quare cùm sint oues stolidæ, stoliditatem illos oculos significare dicunt. Verum cum capræ oculos habeant subglaucos, sintque voraces portæ ractio magis arridet.

TEXTVS.

QVibus oculi ignei sunt, impudentes censentur, & referuntur ad canes.

SCHOLIA.

CAnes amicitia & fidelitate cæteris animalibus anteponuntur, impudentia nequaquam. Puto quidem propter abundantiam caloris ignei audaces esse, proindeque impudentes, non tamen canum mores imitari. Doctius Porta qui refert ad ranas & muscas. Aegiptij namque hominem impudentem designare studentes ranam pingunt

hæc enim alibi sanguinem non ostentat præterquam in oculis. Referuntur ergo ad ranas. Splendor & luciditas oculorum luxuriam significare cõiici potest ex abũdantia spirituum & caloris, quam significat. Referuntur ad gallos, qui libidini valde sunt dediti, vel ad passeres. Cætera facile ex textu intelliguntur.

TEXTVS.

CAeterùm quod ad pilos spectat lines quidem timidum, asperi verò animosum declarant, quod quidem non in homine solum, verum in vniuerso animalium genere compertum est. Timidissima siquidem animlia sunt ceruus, lepus, & oues: tenuissimosque ac maxime concidentes pilos sortiuntur. At leo, atque etiam Aper vt sunt maxime animosa animalia, ita etiam asperrimis vestiuntur pilis. Simili etiam ratione, licet idem videre in volatilibus animalibus. Siquidem in vniuersum quæ asperas sortiuntur plumas eadem sunt animosa, quæ vero blandas prorsus timida, quod si ad particularia descendas in coturnicibus, & in gallis id cognosces manifestissimè. Idem nimirum contingit in hominum etiam generibus. Nam qui septentrionem inhabitant, magnanimi quidem sunt, ac asperrimis teguntur pilis. Qui verò plagam incolunt meridionalem, vt timidi ad-

modum ſunt, ita etiam languidos pilos progi-gnunt. At vero hirſutus venter garrulitatem quidem ſignificat, quod potiſsimum auium ge-neri ſolet referri. Proprium ſiquidem auis eſt, quod ad corpus quidem ſpectat, hirſutum habe-re ventrem, quod vero ad ingenium, garrulum eſſe.

SCHOLIA.

EX pilorum qualitatibus mores inquirit hæ autem ſunt aſperitas, & lenitas, quæ tactus iu-dicio deprehenduntur. Hæc probatio Ariſtotelis progreditur ab effectu. Per enumerationem ſpe-cierum animalium, in quibus deprehenduntur ve-ræ propoſitiones iſtæ, vt quæ aſperos gerunt pilos animoſa ſint. Quæ lenes timida, neque erat illius munus iſta probare per cauſas nulla enim doctrina probat ſua principia: ſed à ſuperiori debent proba-ri nimirum. Phyſica, ſiue Medicina. Pili ergo naſ-cuntur ex humorum excrementis, quæ talia cen-ſentur, quales ſunt humores quorum excrementa dicuntur. Ex humoribus autem, tanquam effectis caloris innati, & temperiei iecoris, vt ex cauſis materialibus ſpirituum, deducimur in cognitio-nem caloris, & temperiei corporis, tum ſpirituum. Aſperi itaque pili cum fiant à ſiccitate & calore ve-hementi, ſint que in illis veluti flammei ſpiritus, vnde animoſitas naſcitur. Aſperitas in pilis ani-moſitatem oſtendet, è contrario lenitas timidita-tem. Contrariorum lege, quorum contraria ſunt

consequentia. Ex quibus facile intelligi potest, quod omnium fertur prouerbio pilosus fortis, aut luxuriosus, fortis quidem, si asperi sunt capilli, luxuriosi si plures, & lenes. Cum calore enim in illis coniungitur humiditas, quæ pronum ad luxuriam reddunt.

TEXTVS.

QVi tibias habent hirsutas, lasciui: referuntur ad hircos.

SCHOLIA.

TIbiarum nomine coxas etiam intellexisse autumo, nam licet in tibiis vigeret calor magnus cum humore. Virilia tamen non æstuarent, at quando crura sunt vilosa pubesque hyrsuta, genitales partes multum generant semini: vnde concitatur libido, quod autem hircus sit salax omnibus in comperto est, vilosus autem non tantum est tibiis cruribus & pudendis, sed & toto corpore. Prouerbio autem. Iactatur luxuriosus vt hircus.

TEXTVS.

QVi pectoris atque ventris regionem admodum habent hirsutam, minime inter se (quod in hominum genere contingit nunquã) habent consortium: refertur ad auium genera quæ pectus & ventrẽ habẽt maxime hirsutum.

SCHOLIA.

HIc textus à diuerſis variæ fuit deſcriptus. ex hoc Lacunę contextu perſpicue appret æqui uocatio eius particulem (inime inter ſe habent cõſortium) ſententia enim poteſt eſſe plures homines tales raro ſimul verſari, & conſortium inire inter ſe. Quod illa parentheſi demoſtratur (quod in hoc genere contingit nunquam) ſcribit enim Ariſt. initio primi Polliticorum hominem eſſe animal ſociabile, magis quã apes: Quare habere cõſortium, cum alijs glabris & reliquis hominibus. Si quidem tales ſint animoſi, ſunt elati, & ſuperbi iracundi, feruet enim illorum cor & totum pectus: Eiuſmodi autèm homines degunt fere vitã ſolitariam, contemnunt enim reliquos homines, tum alij mores illorũ ſufferre facile nõ poſſint, ſed referuntur ad aues, quæ gregatim viuunt, & in magno conſortio. Quare antiquus textus quam Ioa. Baptiſta Porta eſt ſecutus, ex polemone habet pectus & aluus quæ multa pilatura redundat, mẽte leues inſtabiles, & imbecilles notat. Adamantus melius vertit luxurioſos, Albertus aſſentitur huic ſententiæ. Verum cauſa minus perſpicua eſt, niſi dicamus ex calore cordis vehementi, gigni ſpiritus calidos, tamen mobiles ex quibus imaginationũ mobilitas pendet, mutatur enim imaginatio facile ab ſpectris varijs, ſpiritus autem, fumi, vapores ſunt ſpectra illi, vt ex inſomnijs poteſt conijci: in quibus ea imaginamur, quæ nunquam ſenſu percepimus, propter eas quæ obuerſantur imagina-

tioni varias figuras, & delineationes, hæc vero inconſtantia ſignificatur, ex relatione ad aues, quibus in volatu, & cæteris motionibus nihil poteſt fere excogitari inconſtantius: De luxuriæ autem ſignificatione nemo dubitat.

TEXTVS.

QVi pectus habent admodum glabrum impudentes ſunt. Atque id ad mulieres refertur: Quando igitur nec pluſquam par ſit hirſuta, nec pluſquam rationi conueniat, glabra pectora eſſe debent, quæ modum inter hæc obtinet habitudo, eadem fuerit & præſtantiſsima.

SCHOLIA.

QVaſi vero mulieres ſint impudentes: timidæ cenſentur caloris inopia, quî ergo poſſunt eſſe impudentes, & inuerecundæ, quod audacia timiditati ex diametro opponatur. Pudor ex opinione erroris naſcitur, errores autem deprehenduntur ab his qui perſpicaci ſunt ingenio: quo cum multæ mulieres maxima ex parte careant, dum putant falſo ſe ſapere impudentes, & audaces redduntur. Glabri vero pectore ſunt corde frigidi, ſtupidi & muliebris naturæ. Præterea mulieres ſunt ambitioſæ. At nitimur in vetitum cupimuſque negata. Illis autem ſunt denegatæ virtutes illæ quibus vera laus comparatur: quo ergo ſi non re ipſa, tamen ſpecie laude illa frui videantur, efficiuntur impudentes, non pudet enim illas

ambitioſas, ſibi arrogare quod non merentur:illa vero ambitio muliebris ſita eſt potiſſimum in veſtimentis,&reliquo corporis ornatu,laudibus,antceſſionibus, primigreſſionib. & cæteris:quibus ſi priuentur tragedia eſt, rixa, vociferatio, trepudiatio, manuum confractio, capitis commotio, corporis contortio, minæ execrabiles, iuramenta & cæt.

TEXTVS.

QVi humeros habent hirſutos minime inter ſe congrediuntur, referuntur ad aues.

SCHOLIA.

HVmeri hirſuti pectoris caliditatem oſtendunt, eademque eſt expicatio huius textus cum ſuperiori de pectore hirſuto.

TEXTVS.

QVi dorſum habent impenſe hirſutum, impudentes: referuntur ad feras.

SCHOLIA.

APorta vertit aſperi: beſtiæ namque impudentes dici non poſſunt, pudoris namque capaces non exiſtunt.At contraria ſunt nata eſſe in eodem ſubiecto ſucceſſiue, omnis verecundia eſt in voluntate, nam turpis opinio, non aduerſa-

tur naturæ, ſed voluntati: atqui nulla fera eſt voluntate prædita, ergo nulla fera eſt verecunda: aſperi autem ſunt qui valde ſunt hirſuti dorſo, quod oporteat calorem eſſe vehementiſſimum, quando illa pars ſicca, & vt ita loquar exucca, pilos producit ab eo autem calore morum peruicaciæ & aſperitas.

TEXTVS.

QVi colli poſteriorem pa tem habent hirſutam, liberales: ad leones refertur.

SCHOLIA.

Liberalitas eſt honeſta bonorum ſuorum largitio. Cum ergo liberales ſua aliis largiantur, metu indigentiæ non efficiuntur, quo maxime crucientur auari. Illa autem opinio naturaliter inſita defectus bonorum in diuitibus non aliunde prouenit quam ex defectu ſpiritus, & caloris innati. Quamobrem ſenes iuuenibus ſunt magis auari, in illis namque vires deficiunt, naturales ſpiritu & calore naturali imminuto: fit ergo neceſſario, vt qui abundant calore, & ſpiritibus, illi ſibi maximè fidant propēdeant que in liberalitatem: At qui ceruicem pillis tectam habent calore maxime abundant, cum enim illa pars ſicca ſit, & frigidæ fere naturæ, propter oſſium magnitudinem pilli in ea naſcentes caloris & humoris abundantiæ ſignificationem præbet. Ex quo ſequitur eos poſſe eſſe liberales. Quod autem referantur ad Leones

certum est. Leonem liberalem esse dictum ex Aristotelis sententia. Porta ad equos referendos potius arbitratur, quorum est propria coma, Equi vero bene comati sunt superbi, vultque comam in illis esse generositatis indicem, probat suam sententiam, quod cum eos velint ignobiles & humiles reddere, iuba priuant, eum deducendo ad asinũ. Et ad equam quam asino adiungere volunt, Missarij, iuba priuant. Huius rei meminit Ælianus ex Sophocle vt refert Gillius cap. 29. lib. 4. Historiæ animalium: Nihil tamen vetat vtrumque verum esse, caloris namque abundantia liberalem, & elatum efficere potest.

TEXTVS.

QVi mentum habent prolixum, animosi refertur ad canes.

SCHOLIA.

POrta censet mendum in hoc textu subesse, & Aristotelem scripsisse de pilis mento inhærentibus, non de figura, aut quantitate menti. Primo quia ad canes refert qui acutum mentum non habent, præterea Aristoteles agit de pilis, non de partium quãtitate, aut figuris, legatur ergo, qui in mento prolixos gerunt pilos, illi sunt animosi, & referuntur ad canes. Primò executiamus de barba: Barba virilitatis est argumentum, quoniam ea potissimum apparenter homo à fœmina differat & fœminæ barbatæ sunt viragines, quo ergo barba

barba erit prolixior & densior, eò virilitatem maiorem demonstrabit. Viriles autem animosi. Prouenit autem hic effectus à copia caloris; ad canes autem referri, non est verisimile, cùm relatio debeat fieri ad id quod est maximè proprium animalis. Canibus autem multa tribuuntur à Cicerone, in quibus nulla mentio fit animositatis. Canum, inquit Cicero, tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio, tamque odium in externos, & tam incredibilis ad inuestigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid significant aliud nisi ad hominum commoditates esse generatos? Quæratur ergo animalis alia species, ad quam iure barbatus referatur.

TEXTVS.

QVi supercilia habent coniuncta, anxij, refertur ad ipsius affectus similitudinem.

SCHOLIA.

ANxietas est animi perturbatio, quæ ad dolorem, siue, vt exactiùs loquamur, ad tristitiã, vel metum spectat, proficiscitur autem ex opinione dubia mali futuri. Anxij namque certo nesciunt futurum malum, sed dubitant aduenturum, qua opinione concepta, inquirunt cum tristitia & metu modum euitandi, quod dum attentè perquirunt supercilia conuertunt frontem caperant, externo motu significantes imaginationis contentiones. Sunt autem qui semper, & in omnibus ani-

mo pendent, qui meticulosi, & anxij semper existunt. Hos natura expressit superciliorum connexione, vt censet Aristoteles. Ratio autem forsan huius affectus reddi potest eiusmodi, vt quoniam pilorum in parte aliqua quantitas, illius calorem prodit, superciliorum connexio fit per quantitatem pilorum, quæ cum arguat capitis proindeque cerebri anteriorem partem calidam, in qua imaginationi ab Arabibus tributa est sedes, illic imaginatio vigebit, tales autem sunt cogitabundi, & Anxij.

TEXTVS.

QVià naribus supercilia habent disiuncta, reuulsa autem ad tempora stupidi, refertur ad sues.

SCHOLIA.

SImilitudine tantum formationis potest probari lege illa, vt qui referunt forma, aut specie aliquod animal, mores illis similes habeant. Cum natura aptum moribus omnibus animalibus concesserit corpus, ex Galeno cap. 1. lib. 1. de vsu partium.

TEXTVS.

QVi capillos horridos habent, timidi: refertur ad ipsam affectus naturam. Siquidem

qui animo sunt perculsi, horrent.

SCHOLIA.

HOrrent & erecti manent pili in pauore & metu magno, propter frigus externarum partium à quo coarctati pori eriguntur pili, & rigent: A posteriori ergo si rigeant, naturaliter inditium dant frigiditatis, à qua timiditas potest probari per ea quæ explicata fuere de animositate, quod contrariorum contraria sunt consequentia.

TEXTVS.

QVi vehementer crispos habent capillos timidi: ad Aetiopas id refertur.

SCHOLIA.

CRispitudinis multiplex est causa secundum Aristotelem cap.3.lib.5.de generatione animalium: vna est portio ignis excedens ex pilo, vnde exhalatio ascendit, & cùm terreum adustum mixtum descendat, fit motus pili contrarius, quo crispatur: pilus enim ob sui imbecillitatem facilè flectitur: Secunda causa, terreum vstum abundans. Nam cùm pauca humiditas permixta facilè siccetur ab aëre, conuellitur pilus, vnde crispitudo. His addit tertiam Galenus, meatus per quem pilus egreditur, obliquitatem: Quibus Vega coniungit conformatricem assimilantem parentibus, qua de

causa filij Aeti opum, etiamsi in temperata regione nascantur, pilos habent crispos, nigros, breues: Ex quibus facilè colligitur crispitudinem nascentem, ex duabus prioribus causis, significare caloris magnum excessum, à quo dissipatur calor innatus corporis, introduciturque frigiditas, quam priuatiuam vocant; ea autem est causa timiditatis, vt explicatum fuit. Cæterum Aetiopes omnes timidi non sunt: qui enim sub Aequinoctio habitant, cùm sint temperati Geographorum sententia, timidos nemo existimauerit. Referuntur, ergo illi qui sunt crine crispo similitudine pilorum, tum morum paritate ad Aetiopes, qui incolunt calidissimas regiones, Abissinos, nimirũ, & alios Abissinis proximos, atque idcirco Aristot. scribit qui vehementer crispos habent pilos. Hinc Arist. deducit textum sequentem.

TEXTVS.

QVum igitur vehementer erecti, atque admodum crispi capilli referant timiditatem satis manifestum est, vt qui inter hos obtinent medium nempe qui in extremitatibus crispantur, eosdem conferre ad magnanimitatem. Hoc autem ad leonem refertur.

SCHOLIA.

EA namque pilorũ dispositione ostenditur corporis temperies laudabilis, ac magnanimitas.

TEXTVS.

QVi regionem eam frontis, quæ cum syncipite iuncta est, corrugatum habent, liberales: ad leones refertur.

SCHOLIA.

NVlla est connexio huius textus cum reliquis, quid enim frons corrugata commune habet cum pillis. Referatur ergo ad frontis contemplationem.

TEXTVS.

QVi capillos ad frontem habent demissos versus narium regionem, liberales: ad decentem venustatem refertur: est enim aspectus seruilis.

SCHOLIA.

DE liberalitate superius multa, pili dispositi eo modo caloris innati dominium testantur, confidentiam, & liberalitatem.

TEXTVS.

POrro ipsa capillorum generatio; siquidem prolixi sint agilitatem: sin verò breues, pi-

gritiem ſignificant: quandoquidem prolixos gigni capillos facilitas quædam eſt, breues autem cunctatio. At ſi ipſi capilli minime prolixi ſint, ad hæc tarde admodum creſcant, adhuc magis pigritiem ſignificant, minime autem agilitatem. Nam tardos eſſe capillos in generatione, neque etiam breues, nullum portendit facilitatem. Pelluntur foras capilli à calore, qui vt eſt robuſtus, ita agilitatem parit, vt vero debiles pigritiam comparat. Qui prolixi capilli, celeres ſunt in generatione, licet facilitatem ſignificent, non tamen eandem efficacem: celeritas quidem miram facilitatem ſignificat, at prolixitas magnam difficultatem. Verum capilli qui in generatione tardi ſunt, & qui celeres, illi quidem difficultatem: hi vero ſummam facilitatem nobis declarant.

SCHOLIA.

DEmonſtratio horum ſumitur à robore caloris, & debilitate, tum à materiæ molitie, aut duritie, nam calor robuſtus facilè producit capillos, ex materia humida, & ſequaci, difficile autem ex ſicca.

TEXTVS.

CAro autem quæ dura est, atque etiam corpulenta natura, portendit hebetudinem sensuum.

SCHOLIA.

ARistoteles cap. 16. lib. 2. de partibus animalium scribit carnem hominis mollissimam esse: quod maxime omnium animalium valeat sensu tactus: licet ergo Aranea tactu vincat hominem, inter homines illi maxime sensu tactu pollent, qui carne sunt molli, ratio huius rei reddi potest, ex his quæ scribuntur ab Arist. lib. 2. de anima. Carnem scilicet esse medium sensus tactus: cùm ergo mollia duris rariora sunt, & per medium rarius facilius transmittantur species, fit vt qui carnem habent mollem exactiori sint sensu tactus, quàm qui duram. Ex his colligitur, vt qui carne sunt dura, sensu sunt hebeti, qui molli acuto. Atque à sensus modo, licet argumētari ad intellectionem: qui namque sensu existunt hebeti, intelligendi facultate minus pollent. Instrumenta nāque & nuncij intellectus sunt sensus. Qui vero acuto, præspicacique sunt intellectu donati, carne molles, existunt.

TEXTVS.

CAeterum caro leuis ac mollis licet bonum ostendat indolem, inconſtantiam tamen ſignificat, ac mobilitatem, niſi in vegeto corpore, atque extremas corporis partes robuſtas habente, talis caro contigerit.

SCHOLIA.

CAro leuis & mollis ex ſuperioribus, ſenſus acumen, & ingenij denotat: hoc vero textu vult Ariſtoteles illam carnem ſignificare inconſtantiam, ac mobilitatem. Quæ triplex in nobis poteſt animaduerti, corporis, ſenſus, & ſententiæ: mobilitas corporis eſt frequens loci mutatio, ſenſus vagus eſt & inſtabilis, qui obiecta varia ſubinde mutat, & perquirit: ſententia verò & opinio inconſtans, quæ ſæpe mutatur, & eadem de re varia eſt. Has denotat mollis & leuis caro: nam mollis caro humoris & caloris moderati abundantiam demonſtrat. Vnde colligitur ſpirituum leuitas, motio facilis, ex quâ naſcuntur facilitas ad motum in corpore & anima: hos autem ſanguineos auſim aſſerere, vergentes ad bilioſos. Verum ſi iſta mollicies ſit in corpore vegeto, & habente extremitates corporis robuſtas, non ſignificat inconſtantiam, aut mobilitatem, ſed potius moderatam firmitatem. Certè ſanguineus vegeto eſt corpore declinans à bilioſo: illi vero dicuntur habere robuſtas extre-

mitates, aut artus fortes qui ſunt lacertoſi, & muſculoſi, carneſque ſatis firmas habent: hoc autem non poteſt pendere niſi à moderata ſiccitate, à qua firmitas & robur, tales autem exiſtunt ſanguinei ad melancholicos vergentes. Qui autem ſunt molli carne citra robur corporis aqueo redundantes humore, vt fœminæ pigræ, & tardæ, exiſtimantur.

TEXTVS.

AT quod pertinet ad ipſum motum, tarditas quidem imbecillitatem ingenij: celeritas autem miram quandam habilitatem nobis declarat.

SCHOLIA.

INgenij habilitas conſiſtit, in bene & promptè intelligendo: intellectio vero noſtra verſatur in diſcurſu: diſcurrit vero intellectus, quando ab vno cognito ad aliud quod eſt incognitum ſeſe confert, vt illud agnoſcat: in quo eſt opus inuentione medij, & copulatione illius cum extremis propoſitionis, cuius veritas inueſtigatur: ille autem diſcurſus, vel fit paruo momento temporis, aut longo, qui cognoſcendi ſunt à Phyſiognomo per corporis diſpoſitiones, vt in principio expoſitum fuit. Quare Ariſtoteles ex tarditate motionis ipſius corporis, ingenij tarditatem colligit, ex agilitate eius habilitatem, cuius ratio petitur ex inſtrumentis motus, qui ſunt muſculi: in quibus conti-

nentur neruus & ſpiritus animalis per eum delatus, qui in celeriter mouentibus calidus eſt & agilis: In his qui tardè progrediũtur remiſſus. Anima vult inuenire medium, quod memoriæ impreſſum eſt, illa mouet ſpiritus in loco memoriæ exiſtentibus, facultate eadem comparat & coniungit illud cum extremis, quò ergo facilius ſpiritus mouentur, eò citius intellectus ratiocinatur; faciliùs autem mouentur calidi, quàm remiſſi, velocitas, aut tarditas ſunt ſpirituum qui mouentur, cognitio animæ.

TEXTVS.

DE manus autem atque vlnæ, præterea brachij lationibus extenſis, huiuſcemodi talia referuntur. Qui humeris in rectum extenſis, quatiuntur celeres: refertur ad equos.

SCHOLIA.

ARgiropilus vertit, qui humeris rectis & tenſis inſultant magis proprie. Celeres in motu dicuntur curſores, curritur vero tibiis, & cruribus: muſculi namque crurum, & tibiarum curſum efficiunt. Quî ergo ex humeris erectis, & tenſis celeritatis elicitur iudicium. Quod muſculi omnes congeneres ſint. Ex rectitudine autem humerorum & tenſione reliquorum muſculorum robur colligitur. Tenſio autem & rectitudo à ſiccitate à qua fortitudo: maniaci enim & phrenetici, quia ſicci robuſti. Verum ad velocitatem opus eſt moderata

mollicie, qua facile distendantur & curuētur, egent enim distentione ad passuum magnitudinem, & plicatura facili, ad celerem mutationem eorumdem: quæ sicca sunt impensè, difficilè curuantur, erecti ergo & tensi intelligantur humeri moderatè. Referuntur autem ad equos, qui celeres sunt.

TEXTVS.

QVi scapulis mouētur, curui sunt, elati & generosi, referuntur ad leones.

SCHOLIA.

CVruitas scapularum, aut est congenita, aut vitæ decursu contracta, vt in senibus: de congenita intelligi debet curuitate: quæ conformationem spinæ sequitur, quæ namque fundamentis innituntur, eorum figuram & effigiem sequuntur. Ossa autem sunt fundamenta reliquarum partium corporis & spinæ superioris siue scapularum: incuruata ossa melius pondera incumbentia sustinent, vt licet intelligere ex arcubus, & fornicibus. At hic non est sermo de ponderum gestatione, sed de elatione & generositate. Verum omne robur dat opinionem magnæ alicuius rei moliendæ, in quo sita est elatio & generositatis opinio: in robore autem corporis æstimando magni fit gestatio magni ponderis, aut eiusdem è solo elatio, quæ sine humeris magnis & incuruis haud facilè contingunt. Referuntur vero ad leones.

TEXTVS.

QVi inuersis pedibus progrediuntur, mollibus tibiis innitentes, referuntur ad mulieres.

SCHOLIA.

TAles homines vari appellantur: ſunt autem eiuſmodi, quia tibiæ molles reliquum corpus ægrè ſuſtinent, & quodammodo flectuntur. Mulieres multæ, hoc modo incedunt: molles illæ tibiæ copiam aquei humoris in corpore oſtendunt, vnde frigiditas, & effeminatio. Flectuntur autem molles tibiæ in pleriſque mulieribus, quia obeſum illarum corpus, craſſæ & carnoſæ nates premendo tibias articulationem genuum intro compellunt inuertuntque pedes.

TEXTVS.

QVi vero corporibus ſe circuntorquentes & fricantes incedunt, adulatores, referuntur ad ipſum affectum.

SCHOLIA.

QVi adulantur contorquent corpora; contorſio illa facilis ab humoris copia naſcitur: molliuntur enim in illis articulorum ligamenta,

ex quo fit vt in omnem partem facilè moueantur. Idque contorquere est. Qui humore multo abundant præsertim aqueo, frigidi existunt qui cum effeminati sint iam constituti, animo sunt abiecto, quare timidi. Tales autem blandis verbis solent alios homines demulcere, quo eorum iniurias vitent, aut indigentes munus aliquod consequantur: contorquent vero corpus vt corporis, & animi debilitatem ostendendo, ad misericordiam, per gestus commoneant spectantes, aut eo commouent corpus animo, vt se gestire in eorum obsequio demonstrent, quæ ratio est, vt magnates qui ambitiosi sunt adulatores ament, quod existiment, illos obsequiosos, & laudum suarum promulgatores, tales autem adulatores, quia effeminati, omnibus officijs vel etiam vilioribus, & dedecorosis sunt accommodati. Nihil enim non faciunt modò sumptibus alienis viuant, qui præ inertia, victum suo labore, industria parare nolunt.

TEXTVS.

QVi ambulando in dextrum latus propendent, Cynædi sunt, referuntur ad apparentem decentiam.

SCHOLIA.

CYnædus dicitur, qui muliebria patitur; omnes qui sinistra manu pro dextra vtuntur in

eam manum inclinantur, propter vſum inuerſum conſuetudine: naturaliter enim, motus principium à dextra naſcitur, eſt namque robuſtior propter iecur ea parte collocatum. A fortiori autem principium motus. de qua re lege Ariſt. lib. de motu animalium. Qui vero dextera operantur manu, in eam non propendent, quod naturale ſit homini, inde motus principium ducere. Cynædi vero ſi propendeant in latus dextrum ambulando, non demonſtrant vſum inuerſum manus, ſed potius obſcænarum partium. Propendere autem ratione vitij nefandi deberent in poſteriora.

TEXTVS.

QVi oculos habent volubiles, ingenioſi atque rapaces: refertur ad accipitres.

SCHOLIA.

VOlubilitas oculorum præficiſcitur à robuſta facultate motrice animali, cuius nomine intelligimus facultatem ipſam cum laudabilium ſpirituum copia, tum ab humore vnctuoſo quo perfunduntur oculi, cuius ope lubrici redduntur. Verum cum illa in quiete oculi ipſum comitentur, præter illas cauſas oportet volubilitatis illius rationem aliam perueſtigare; mouetur oculus, vt illa quæ è directo non occurrunt videre poſſit, atque ob eam rem oculus muſculis conſtat pluribus: hic vero motus à voluntate pendet, alius vero animaduertitur in his qui obſcurorum per-

uestigatione vacant: hi namq; agitant, & mouēt celeriter oculos sine vlla necessitate, ea conspiciendi quæ oculis obuersantur; huius motus causa est imaginatio, quæ quoniam in his qui acutè ratiocinantur celeriter mouetur, propter eum consensum qui est mentis cum sensu & præsertim cum visu, oculi fere eadem celeritate agitantur. Quare si nec primo neque secundo modo moueantur oculi: significatur semper ingenij acumen, ob caloris & spirituum copiam: illi autem oculi volubiles animaduertuntur in accipitribus, & reliquis auibus rapacibus, quocirca rapaces iudicātur, qui oculos gerunt volubiles, rapacitas est auiditas rapiendi: Rapere autem est vi capere, vt vero rapiant accipitres data est illis oculorum volubilitas, per eam enim facilius prædam conspiciūt, & conspiciendo rapiunt. ita ingeniosi vt intellectu quærunt, quod ad se trahant, ita, oculis continua versatione omnia circumposita lustrant, & rapiendi desiderio flagrant.

TEXTVS.

QVi frequenter admodum conniuent timidi: quandoquidem in oculis primum timent.

SCHOLIA.

COnniuere est palpebras sæpemouere, mouentur autem vt claudantur, & clauduntur,

vt ab iniurijs externis oculos defendant: cum vero aliquis timet, præ omnibus partibus ipſos oculos, vt magis neceſſarios, & commodos vitæ cuſtodire, & ab iniurijs prohibere nititur, vnde ſequitur vt qui ſæpe cõniuent timidi exiſtant, & ſint in opinione fere perpetua mali alicuius recipiẽdi.

TEXTVS.

QVi gratiosè diffuſéque intuentur, ad decentem venuſtatem, atque ad fæminarum genus referuntur.

SCHOLIA.

QVòd gratioſus ille & diffuſus aſpectus ſit fœmineus: mulierum enim eſt blando & diffuſo aſpectu, homines irretire & allicere ad amorẽ ſui: cum enim inferiores ſint mulieres viris dotibus animi, & corporis, quo viros ſuperare poſſint illiſque pro arbitrio imperare, gratioſo vultu, & aſpectu eorum ſeruitutem, & perditionem cautè venantur: quibus eò magis eſt reſiſtendum quò turpius eſt homini mulieris caput auctoritate diuina exiſtenti, imbecillo & vecordi animali morem gerere.

TEXTVS.

QVi tardè, hoc eſt per magna temporum interualla oculos mouent, in eiſque habent

albedinis

albedinis notam, cogitabundi.

SCHOLIA.

ETenim si aliqua cogitatione detineatur anima, detinetur etiam & ipse oculus, alij vt Argiropilus vertit, qui oculos frequenti tempore mouentes: sed versio Lacunæ videtur magis accommodata: nam inuestigatio rei difficilis mobilitatem potest excitare in oculis, ita cogitatio, & contemplatio rei præstantis oculorum motum sistit, vt & intellectum in sua contemplatione retineat.

DE VOCE.

TEXTVS.

QVod vero ad vocem spectat, si vox grauis simul intensaque sit, fortitudinis: si contrà acuta fuerit atque remissa, pusillamitatis est signum.

SCHOLIA.

ARist. cap. 7. lib. 5. de generatione animaliū scribit differre vocem grauem à magna; acutam verò à parua: magna enim siue intensa, illa vox est ratione roboris pellentis aëremqui materia est vocis: Parua verò dicitur propter debilita-

tem mouẽtis aërem: Grauis autem fit ex eo quod mouens & impellens multum aërem mouet: acuta vero cùm parum, multum autem, aut parum aëris mouet, pro ratione ductus nimirũ tracheæ arteriæ, quæ fiſtula aptè nominatur. Per eam emodulantur animalia: fit ergo vt qui homines lata ſunt præditi trachea arteria, hi grauem emittunt vocem, qui vero ſtricta acutam. In quibus autem cum grauitate vox eſt intenſa, ſignificatur caloris innati abundantia, non cum pellens ſit robuſtum, robur à copia caloris quoniam vero ductus eſt latus: dilatatio eſt effectus caloris: natiui: Quare cum grauitas eſt intenſa, denotet copiam caloris natiui, fortitudinis & roboris erit inditium, ex contraria ratione acuta & remiſſa puſillanimitatis.

TEXTVS.

QVi grauiter graui ſunt voce, & demiſſa, contumelioſi, referuntur ad aſinos.

SCHOLIA.

VErtunt alij qui voce admodum magna vociferantur grauiter magna, & grauis vox robuſtum iudicant in ſuperiori aphoriſmo, robuſti verò raro contumelioſi: contumelia namque eſt iniuria illata citra occaſionem, quod non eſt fortis, & magnanimi, ſed potius puſillanimi, qui ſignificatur voce graui, & demiſſa: remiſſ enim illa vox demonſtrat debilitatem: facit tamen rela-

tio ad asinum, vt exstimem vocem intelligi rudẽ, quæ ex graui & magna componitur cum quadam asperitate: si verò sunt iniuriosi melancholici atrabilarij, tyrannici: referuntur autem ad asinos similitudine vocis tantum, moribus namque asini, sint ineptissimi, nusquam contumelosi.

TEXTVS.

QVi in principio vocem grauem proferunt, in fine autem acutam clamitosi sunt, atque queruli, referuntur ad boues, & ad vocis venustatem.

SCHOLIA.

QVin fit vt idem modo grauem, modo acutam vocem proferat, cum Arist. cap. 7. lib. 5. de generatione animalium scribat spiritum calidum crassitudine sua grauitatem producere vocis, frigidum præ sua tenuitate contrariam procreare, nemo autem est qui vociferando modo calidum & crassum, modo frigidum & tenuem possit emittere spiritum.

Respondemus Aristotelem loquutum de materia vocis: ad grauem enim efformandam vocem aptus est spiritus calidus, & crassus: ad acutam tenuis frigidus, ferit enim partes oris, tum in ipsum aerem tenuiter: quin autem homo in principio vocem edit grauem, paulo post acutam, id nascitur ex mutatione situs tracheæ arteriæ, quæ mus-

culis dilatatur externis:internis verò clauditur, & ex mutatione materiæ:In dilatatione vox grauior efficitur,in constrictione acutior,ex qualibet materia. Sunt tamen qui propter arctum ductum grauem non possunt emittere vocem,vt pueri, & mulieres multæ. Qui autem lata sunt trachea arteria, vtramque pro libito effingere possunt. Id cernere licet in magistris chori musici, qui ad errores concinnentium corrigendos, omnis generis effingunt voces. Hæc vero mutatio vocis, aut contingit ex arbitrio,aut ex animi passione: Timidi vocem propriè acutam,& remissam.Iracundi in principio satis grauem,mox acutam. Cum enim iniūriam vlcisci, vel alium lædere cupiant contendunt membra, Per musculorum contensionem;à contentione coarctatio partium, & per consequens tracheæ arteriæ: violenter autem aërem pellunt tenuem licet calidum,qui acutam efficit vocem. In principio ergo iracundi nondum furore dominante, parua fit contensio musculorum,procedente vero tempore feruor sanguinis circa cor,augetur & contentio, vnde tenuitas spiritus, constrictio tracheæ arteriæ & vocis mutatio in acutam. Quare cum Iocundi sunt queruli, clamitosi,qui talem edunt vocem,queruli existimari debent. Boues autem eiusmodi edunt vocem: in principio namque grauem,quod non contendant musculos:in fine autem contentione ipsarum acutiorē efferunt:bos verò roucūdus nō est:Sed mitis & patiens,nisi valde læsus: lesa namque patientia fit iracundia:Similitudine ergo vocis tantùm referuntur ad Boues.

TEXTVS.

QVi acutè, blandè, atque etiam comptè sermocinantur Cynædi, ad mulieres referuntur, & ad decentem venustatem.

SCHOLIA.

BLanda vox opponitur asperæ: nascuntur hæ differentiæ ex dispositione instrumenti: Læuigata enim trachea arteria & æqualis blandam, Inæqualis autem asperam profert vocem, fit enim inæqualis aut à sicco multum excedente, aut ab humore nimio consistente circa Pharingem: ęqualitas vero, & læuigatio ex temperata cum sicco humiditate: acuta verò est propter strictum ductum & tenuem vocis materiam. Quæ significant in homine muliebrem naturam & effœminationem, vt Eunuchorum: blanda autem potest etiam nasci cum illa dispositione æquali tracheæ arteriæ, ex animi proposito, cum gestibus meretricijs, & lenocinijs, quo more mulierũ rapiãt: Blãda vero vox est venusta, si talis naturaliter extiterit sine vllo fuco, aut dolo. Omnis namque temperies modestiã & venustatem & mansuetudinem subindicat, ex quo pendet explicatio aphorismi penultimi, de voce nempe. Qui blandam & debilem vocem emittunt mansueti, referuntur ad oues.

DOLOSA VERO ET SYrenum eſt, & Cynædorum.

TEXTVS.

QVi grauem ſimul & magnam adhuc etiam intricatam vocem emittunt, referuntur ad robuſtos canes, & ſimiliter ad venuſtatem decentem.

SCHOLIA.

MAgna & grauis vox fuit antea indiciumroboris, quare qui hanc vocem proferunt robuſti,& fortes exiſtunt: intricata autem vox dicitur quæ profertur imperfectè, & intercisè. Intercisa illa vox qualis eſt melancholicorum quorumdam, & attrabilioſorum, quorum lingua mentis conceptum conſequi non poteſt; naſcitur ex furore ortum habente, ex humore atrabilario accenſo: tales ergo ſunt feroces referuntur, quæ verè ad canes robuſtos, qui ſunt temperamento calido ſicco, in quibus plurimum redundat atræ bilis, cuius corruptione in rabiem aguntur: quæ autem venuſtas ſit in tali vociferatione, non poſſum, ariolari.

TEXTVS.

QVi blandam ac debilem vocem emittunt, mansueti, referuntur ad oues.

SCHOLIA.

HVIVS explicatio pendet ex superioribus.

TEXTVS.

QVi acutam validamque vocem elidunt, edaces, referuntur ad capras.

SCHOLIA.

AQua vorax vt scribit, Hipp. 6. lib. epid. quia frigida cogit calorem innatum, vnde melior fit concoctio, & distributio: hinc fames attrahentibus optimè partibus corporis, à venis, venæ à iecore & à ventriculo: in cuius orificio superiore suctionis sensus perceptus, fames appellatur, in quibus ergo viget calor natiuus in partibus inferioribus, in his fames multa. hinc Hipp. Aphorism. Pueri difficilimè Ieiunium ferũt. At qui acutam & validam edunt vocem, illi abundant calore natiuo: valida enim vox à calore multo naturali: acuta autem fit à compressa trachea arteria: Quocirca quì acutam & validam vocem edunt,

edaces existunt, capræ sunt edaces non tam copia caloris, quàm abundantia succi melancholici acidi, à quo in ventriculum effuso, appetentia excitatur.

DE QVANTITATE ET habitu corporis forma & figura partium illius.

Parui corpore Ingeniosi.) Porta vertit præcipites, huius rationem reddit ipsemet Aristoteles: etenim sanguis interna latione, exiguum occupant locum, subitò motiones perueniunt eò vbi gignitur cogitatio.

SCHOLIA.

Alexander Aphrodiseus scribit corpore breues plerumque esse, is qui magno sunt, prudentiores, cum inquit coarctata sit in toto corpore anima, innati enim spiritus vis ipsa collectior, paruæ compaginis membra aptissimè regit, & quod mentis est, ad excogitandum velocius illustrat: hæ rationes supponunt animam residere in corde, ex Aristotelis doctrina; si namque ponatur illius sedes in cerebro, motiones sensuum in paruis magno capite præditis, fient tardius, quàm in magnis

hominibus: caput paruum possidentibus. Quæ autem dicuntur de sanguine ab Arist. intelligenda sunt de spiritibus: spiritus namque deferunt imagines, & species rerum ad intellectum: cum enim spiritus sunt corpora, motu locali feruntur. Quò ergo breuius est spatium, eò celerius, & citius producuntur, eò quò tandunt, quò longius, tardius.

TEXTVS.

RVrsus qui corporis magnitudine sunt procerosa, maxime ingenio tardi sunt. Quandoquidem fieri non potest, vt ipsa latione sanguinis vastam occupante regionem, non tardè perueniant motiones ad locum illum mentis, & æistimationis.

SCHOLIA.

FAcilis est explicatio huius propositionis per superioris contrariam rationem.

TEXTVS.

QVi parua sunt corporis magnitudine, ac siccam carnem sortiuntur, siue ea ratione siccittatis, siue ratione caliditatis corporibus ipsis accidat, ad omnia opera sunt inutiles. Si quidem quum ipsa corporis latio substricto continea-

tur loco, cumque ob ipſum, caloris ardorem celerrima ſit atque citata, fieri vllo modo non poteſt, vt ex his naſcatur intelligentia: ſed potius confuſio maxima, priusquam id quod ſuperius eſt vincat.

SCHOLIA.

CONfuſio imaginationis ex veloci ſpirituum deferentium ſpectra, concitatione naſcitur: in eo enim veloci motu repreſentãtur ſpectra confuſè: ita vt ſpecierum cumulo obruatur intellectus: aut præ velocitate non poſſit ea comprehendere, niſi imperfectè: hæc autem contingunt in illis qui paruo ſunt corpore, & carne ſicca, ob ardorem: caro enim illa ſicca ardoris eſt effectus: ex ea enim contingit, vt ſpiritus per ſtrictos & arctos meatus celeriter ferantur ad imaginationem.

TEXTVS.

QVicumque ex procero ſis humidas carnes ſortiuntur, ſi ob magnam generentur frigiditatem, inutiles prorſus ſunt ad actiones: Recondita ſiquidem ipſius corporis latio in vaſto loco cum ſit ac torpida ob frigiditatem, nequaquam poteſt ad faſtigium mentis peruolitare.

SCHOLIA.

DVo namque sunt obstacula, Vastitas, & perfrigeratio.

TEXTVS.

QVicumque ex paruis humidam carnem sortiuntur, quamuis ob frigiditatem corporis ipsis accedat, valde operosi sunt. Etenim interna motione in angusto loco detenta, ineptitudo ad motum, quam peperit temperamentum, commoderationem quandam operationum effecit.

SCHOLIA.

FRigore namque adimitur velocitas motus spirituum excedens, itaut moderata reddatur, efficiaturque apta ad actiones obeundas.

TEXTVS.

QVi vero ex magnis, squalida carne sunt præditi, à calore producta operosi homines, sensuumque acumine valent. Nam cum ipsa corporis latio per latißimum locum vagetur, adiuta nimirum celeritate quam præstitit

summa caliditas minimo negotio aduolat ad sedem ipsam intelligendi. Igitur ex corporibus tum quæ magnitudine excellunt, tum quæ paruitate deficiunt iam annumerauimus ea, quæ ad obeunda munera (licet non absolutè) aliquid valere videntur. Quæ vero moderatam inter hæc obtinent naturam corpora, omnium sanè sunt præstantissima, commodissimáque ad omnes actiones quas aggrediantur perficiendas: siquidem corporis nostri motiones si ex longinquo non perferantur loco, facilè ad mentem perueniunt: si vero ex valde distanti, per corpus oberrant. Quamobrem mediocrem corporis magnitudinem obtineat oportet qui ad actiones agendas, sensationesque perficiendas commodus sit futurus. Etenim qui immoderati sunt, prorsus veteratores, quod ad ipsum affectum refertur, atque etiam ad ordinem fœminarum. Quod si immoderati, continuò versuti sunt: quid obstat, quominus qui mediocritatem ac modum seruant, iusti sint simul, & fortes: At ipsius symmetriæ relatio ad optimam corporis educationem, bonamque indolem est referenda, non tamen ad masculinam ideam perinde, ac initio dictum est.

SCHOLIA.

IN his vt in ſuperioribus oportet ſemper intelligere ſpirituum motionem. Cæterum ſymmetria, & commoderata, & mediocris magnitudo corporis debet intelligi, in homine bene educato, ac bene nato: dicunt enim prouerbio noſtri Prouinciales. *Nourrituro paſſo naturo, & nourrituro corrompe naturo.* Mediocritas verò ipſa non refertur ad maſculinam naturam, quod non ſemper ſint robuſti, & fortes, ſed potius ad ingenium & ad promptitudinem actionum.

TEXTVS.

QVibus pedes agiles ſunt magni ac bene compacti, præterea etiam neruoſi, vegetas poſſident animæ facultates: id namque ad maſculiunm refertur genus.

SCHOLIA.

AGilitas pedum ſignificat ſpiritus animalis copiam, à quo agilitas, non tantum pedum, ſed etiam totius corporis: quod autem ſint bene compacti, oſtendunt naturalis facultatis in efformando & enutriendo corpore robur: Quare tales neceſſariò poſſident facultates animæ vegetas, & robuſtas.

TEXTVS.

QVi vero habent pedes exiguos, angustos ac dissolutos, ad hæc risu iucundiores quàm robustiores, animæ mollitie laborant, nec mirum, si ad fœminarum referantur genus.

SCHOLIA.

ILla namque signa significant debilitatem caloris innati & spirituum à qua mollities & debilitas quæ mulierum propria est.

TEXTVS

IMprudentes sunt quibus pedum digiti sunt curuati.

TEXTVS.

CVruatura digitorum pedis à siccitatependet: nam quò exsiccantur, incuruantur, quod comprimantur partes siccatæ trahantq; aliæ alias inæqualiter, quod siccitas in omnibus partibus peræque non dominetur. Incuruantur itaque eo pacto in podagra ab humore exsiccante digiti manuum, & pedum. Calor autem & siccitas audiciæ causam esse probauimus in supeiroribus Audaces autem sunt impudentes. Vera ergo est propositio.

TEXTVS.

QVibus vngues adunci sunt, ij eandem naturam participant cum auibus, aduncos vngues habentibus.

SCHOLIA.

VNgues recuruantur siccitate, vt reliquæ partes: siccitas autem quæ causa est curuitatis vnguium, maior est quàm reliquarum partium: audaciam ergo talem inducit, vt ad ferocitatem rapacium animalum accedat.

TEXTVS.

QVibus sunt digiti pedum cohærentes, & coniuncti timidi sunt, & referuntur ad aues quæ in paludibus versantr.

SCHOLIA.

HÆc propositio in omnibus versionibus deprauata est. Lacuna vertit coturnices: at illæ in paludibus non degunt. Argiropilus ortygas quę significant coturnices. Doctius Baptista à Porta qui loco ὄρτυγας. reposuit ὀρνίθας. aues gregales, frigidi vero, timidi sunt iudicati.

hæ autem habent pedes membrana coniunctos, quod nulli hominum contingit nisi monstrosis. Quocirca à Porta (vt patet in figura picta cap. 48. lib. 2. suæ Physiogn.) non intelligit, cohærere digitos pedum ad extremum vsque, sed in principio diuisionis, quod certe in pluribus conspicitur. Inquit enim in multis amicis obseruaui digitos, in quibus intercipiens membrana fere vsque ad primos articulos occuparet, & timidissimos deprehendi, nullam autem reddit rationem huius effectus: quæ tamen facilis est: cùm enim in illis propter humiditatis copiam subnascatur illa pellicula connectens pedum digitos: significatur caloris penuria, humoris enim copia calorem imminuit, frigidi verò timidi sunt iudicati.

TEXTVS.

QVi circa regionem talorum neruosi sunt, optiméq; compacti, animæ facultates habent valentes: illud namque ad masculinum genus refertur.

SCHOLIA.

EAdem potest dari ratio huius propositionis, quæ superioris, de pedum agilitate, & laudata conformatione.

TEXTVS.

VErum quibus eædem partes carnosæ sunt, maléq; compactæ, animæ mollitie labo-

rant,

rant, nimirum cum id fœminis sit peculiare.

SCHOLIA.

PEdum partes siue talorum carnosæ copiam humiditatis patefaciunt: conformatio verò deprauata debilitatem formarticis ostendit, quæ ideo debilis in conformando dicitur, quod calor, illius operis instrumentum, sit debilis.

TEXTVS.

QVi tibias habent optimè colligatas neruosas atque robustas, plurimum valent animæ facultatibus, atque id sanè ad masculorũ genus refertur

SCHOLIA.

EAdem est ratio huius propositi ac superioris.

TEXTVS.

QVi tibias habẽt prætenues, neruosas tamẽ, lasciui sunt, quod pertinet ad auiũ genus.

SCHOLIA.

TIbiæ prætenues fiunt aut priuatione nutritionis, aut dissipatione humoris. Priuationi nutrimenti succedit Atrophia, & tandem vitæ

extinctio; at neruosas dixit, id est, robustas, quas à dissipatione potius humiditatis eas esse prætenues existimandum est: dissipatio autem illa à calore vehementiori, cum robore facultatis animalis, quæ neruis robur subministrat hic autem calor acer & mordax parit libidinem titilando partes, quæ sunt dicatæ procreationi, vnde luxuria ortum ducit: Tales homines possunt referri ad aues tibiarum similitudine: habent namque aues tibias graciles, & neruosas: refertur autem ad hircos, quorum lubricitas omnibus est perspecta. Quare docte à porta cum hircinis & auicularibus comparandas censet.

TEXTVS.

QVi tibias plusquàm rationi conueniat habent prolixas, & quasi parum disruptas diliri sunt, ac impudentes, id autem ad decentem conuenientiam refertur.

SCHOLIA.

PRolixitas tibiarum excedens dici nullo alio pacto potest, quam relatione facta ad reliquas corporis partes, cum quibus si conferantur proportionem à natura constitutam non retinent: hoc autem iudicatur ex communi iudicio, aut mensura adhibita ex regulis proportionis partiũ quam pictores callere debent, ad hominum effigies perfectè referendas, de quibus Albertus Du-

retus. Certè omnis partium corporis disproportio conformatricis in agendo, & materiæ inæqualitatem declarent, proindeque instrumenti, subseruientis conformationi: in moribus ergo inæqualitatem adesse conijci potest, quæ deliram potest dici: nam deliri, modo hoc, modo illud incomptè, & sine ratione efficiunt, in quo inæqualitas inest, neque tantum ex ea disproportione colligendum dilirium: sed etiam ex eo quod tibiæ sunt disruptæ, quæ altera inequalitaa est censenda: Diliri verò impudentes sunt: cùm enim in perpetuo mentis errore versentur, honoris & pudoris nullam habent rationem: hoc autem argumentum refert Aristoteles ad decentem conuenientiam, quod ita conuenienter colligi possit.

DE GENVBVS.

TEXTVS.

QVi genua sortiuntur plana, Cynædi sunt: atque id etiam ad decentem venustatem refertur.

SCHOLIA.

CYnædos intelligit, vt iam expositum est, muliebria patientes: genua autem plana ex rotulæ planitie fiunt. Non est plana in omnibus, sed leuiter extuberans: Extuberatiò illa deprimi potest in puerilis frequenti rotulæ applicatione ad

rem duram & planam: vel ſi netura tales efficiat rotula aptos ſignificat ad incumbendum. Cynædi vero nefariè incumbunt, aut pronantur. Eſt ergo decens conuenientia.

DE FEMORIBVS.

TEXTVS.

QVi femora oſſea ſimul, & neruoſa ſortiuntur, robuſti, quod ad Maſculorum pertinet genus.

SCHOLIA.

OSſea femora & neruoſa denotant caloris, & efformantis robur.

TEXTVS.

QVi femora habent prolixa atque corpulenta admodum molles ſunt. Nam & id ad fæminarum refertur ordinem.

SCHOLIA.

FEmora illa referri ad fœminas probabile non eſt, quibus nates, & femora craſſa fuere conceſſa: de moribus ergo intelligendum, non de charactere: Prolixitas autem illa cum macie, ſiue oſſium abundantia, debilitatem formatricis, tum etiam nutricis poteſtatis, oſtendit, vnde mores

fœminei & mollicies

DE NATIBVS.

TEXTVS.

QVi nates habent prominulas, atque ossulentas, robusti.

SCHOLIA.

FAcilis est explicatio ex superioribus.

TEXTVS.

QVi carnosum podicem habent, molles.

SCHOLIA.

CArnis abundantia arguit sanguinis copiam, proindeque humoris, à qua caloris per suffocationem debilitas, proindeque segnicies.

TEXTVS.

QVi paucam admodum habent carnem, eandemque veluti ossibus concidentem, astuti & callidi sunt, & referuntur ad simias.

SCHOLIA.

CArnis paucitas sanguinis penuriam arguit, quæ à calore sicco humidum dissipantẽ, &

ex hauriente naſcitur, tales ergo exiſtunt calidi & ſicci, vehementer bilioſi & atrabilarij: debiles ergo. Aſtutia vero illos neceſſariò comitatur. Quò enim minus viribus poſſunt, aſtutiam ſibi comparant, ad neceſſaria conquirenda. Simia autem quã ſit aſtuta, omnes norunt.

TEXTVS.

QVi circa lumbos ſunt egregiè cõpacti, maxime venatione oblectantur, quod refertur ad leones, & canes. Licet enim videre ex canibus qui potiſsimum inſectantur beſtias, eos maxime lumbos craſsos habere & bene compactos.

SCHOLIA.

VEnatio eſt ferarum inquiſitio & perſequutio capiendi cauſa: quod cùm ſpeciem victoriæ referat, aliquid cum bello ſimile retinet venatio ex Ariſtot. in politicis miram adfert viris bellicoſis oblectatioenm: Bellicoſi vero fortes & robuſti. robur corporis apparet maximè in lũborum firmitate: fit ergo, vt qui lumbos optimè compactos, & firmos poſſident, oblectentur maxime vènatione: lumborum autem regio complectitur eam partem ſpinalis medullæ, quæ quinque vertebris inferioribus oſſi ſacro proximis cõſtat.

TEXTVS.

QVibus venter obesus est, ijdem etiam sunt fortes & referuntur ad Masculos.

SCHOLIA.

NOn obesus, sed craussis vertendum. Nam obesi dicuntur à pinguedinis copia, in quibus mollicies corporis: Crassi vero vētre possunt esse carnosi aut pingues: Crassus venter debet intelligi carnosus, & firmus propter lacertos, & musculos abdominis firmiores, quibus similes reliquos vniuersi corporis musculos concludendum est: Lacertosi autem fortes copia sanguinis, moderatè calidi, & spirituum.

TEXTVS.

QVibus vero minimè pinguis est, molles: quod nimirum ad vitiatam corporis venustatem solet referri.

Quibus dorsum magnum est, atque robustū, animæ vim validam obtinent, & referuntur ad mares.

SCHOLIA.

DOrsi nomine intelligi spinalem medullam totam cum musculis illi parti adhærentibus. In Græco namque legitur τὸ νῶτον quod cum am-

plum, & firmam significent ossium in ea parte consistentium, & musculorum magnitudinem, quæ demonstrant naturæ efformantis robur, & materiæ laudabilem consistentiam, ex quibus robur illius partis detegitur: in illis vero partibus maximè robur corporis consistit: siue enim onera magna sint gestanda, hac parte geruntur, siue aliqua sint trahenda, siue brachiorum, crurum & tibiarum pendet robur. Pro animæ ergo vi intelligit motiuam facultatem, in qua fortitudo corporis sita est.

TEXTVS.

QVi vero dorsum habent angustum, simul & imbecillũ, molles sunt ac effœminati: quod ad fœmineum refertur genus.

SCHOLIA.

PROBATVR hæc propositio ex contrariis.

TEXTVS.

QVi robustis muniuntur lateribus plurimum valent animæ facultatibus: quod ad masculos refertur.

SCHOLIA.

EAdem est ratio & demonstratio huius effati, quæ illius de dorso robusto: hoc autem robur maxime requiritur in oratore perfecto, ad gestus edendos, & ad vocis prolationem perfectam: tales enim cùm amplo sint pectore, respirationem liberam, & amplam obtinent, quæ voci edendæ est apprimè necessaria.

TEXTVS.

QVi vero Languidis ac imbecillis langui dam habent animæ vim: quod ad fœminas est referendum.

Quicumque costarum latera, habent prætumida, ac tanquam inflata, impensè loquaces sunt, atque vaniloqui, quod ad boues, vel ranas referuntur.

SCHOLIA.

COcles in sua Physiognomia ducit rationem huius propositi ex similitudine quam retinet, hæc hominis confirmatio, cum ranis, & bobus: verum quæ similia sunt conformatione partis alicuius, non sunt tamen semper similia moribus, licet multa argumenta sumat Aristoteles ex similitudine figuræ: Philosophi est rationem reddere, quare in his animalibus eo modo efformatis tales mores conspiciantur. Ineamus ergo nos ratiocinationem hoc modo: latera illis tument ob costarum amplitudinem & lacertorum respirationi inseruientium crassitiem, quibus positis, necessariò sequitur hæc animalia respirandi facultate robusta esse prædita, quæ dat inclinationem ad loquacitatem, cum locutio multa nō perficiatur, nisi à robusta respirandi facultate: loquaces enim sunt vaniloqui, & mendaces. In multiloquio namque non deest mendacium: confert autem cum ranis quæ multum coaxare solent.

TEXTVS.

QVi regionem, quæ inter vmbilicum septumque transuersum interiacet maiorem habent ea quæ inter collum septumque transuersum vallatur, edaces sunt atque stupidi: Edaces siquidem: nam ventriculum habent immensum in quem videlicet alimentum excipiũt. Stupidi autem, nam ipsi sensus angustiorem locum sortiuntur, qui quidem locus cum ipsi ventriculo qui alimentum excipit copuletur, tum ob alimentorum colluuiem, tum ob eorum penuriam atque defectum, inexpugnabilem sensibus infert grauitatem.

SCHOLIA.

OMnes partes corporis perfectè elaborati proportionem aliquam inter se habent: cùm enim aliæ aliis seruiant subministrando facultatem, aut materiam, certa debet præfiniri earum quantitas, vt tantum, & tale opus reliquis & sibi necessarium producant: si maiores extiterint, plus materiæ conficiunt quàm sit necessarium, vnde humoris maior copia, quæ corpori est noxia, impediens operationes aut per se, aut per accidens: Ratio autem exactè efformati corporis est, vt tanta sit ab vmbilico ad septum transuersum distantia, quanta est à collo vsque ad septum transuersum: si ergo

maior sit distantia ab vmbilico ad septum transuersum reliqua iam dicta parte, argumento est vētriculum, qui in ea continetur, magnitudine superare in proportione reliqua membra corporis: at maior ventriculus plura apetit & conficit. Quocirca qui eo modo sunt constituti edaces existunt: & quia cū plus alimēti cōficitur in ventriculo, quàm sit necesse ad partes corporis enutriendas, superfluus sit est necesse: parit ergo in ductibus obstructiones: item magnam vaporum copiam à qua spiritus, & calor innatus consopiuntur. Aristoteles autem organa sensus constituit circa cor, quod ventriculo satis propinquum est. Nos autem Galeno assentientes in cerebro locamus vt ratio anatomica docet. Verum quo pacto ex longitudine eius loci qui est intra vmbilicum, & cartilaginem xiphoidem, coniicimus magnitudinem ventriculi, cùm nulla sit pars iuxta vmbilicum quæ separet ventriculum ab intestinis, supraque vmbilicum colum intestinū sit locatū. Certe quo maior est capacitas ventris, & partes contentas maiores existere est necessarium: atqui ventriculus ibi continetur, ergo cum ex distantia maiore vmbilici à cartilagine xiphoide maior colligatur capacitas ventris inferioris: oportet in his maiorem reperire ventriculum.

TEXTVS.

QVicumque pectus magnum habent, & bene articulatum, valentes sunt animæ facultate, referunturque ad masculos.

SCHOLIA.

IN pectore sedem cor sibi vendicauit, in quo facultas animosa, de qua intelligenda propositio: hi autem sunt bellicosi, audaces & magnanimi.

TEXTVS.

QVicumque metaphrenum abent magnũ, & carnosum, optimeque compactum robustißimam poßident animæ vim & referuntur ad mares.

SCHOLIA.

IN Greco legitur, μετάφρενον quod anatomicis designat eam partẽ spinalis medullæ, quæ à collo pertingit ad lumbos, constituitque partem posteriorem Thoracis, eam Latini dorsum propriè appellarunt: diuidunt namque totam spinam in quatuor partes, nimirum ceruicem, dorsum, lumbos, & os sacrum. Animæ vim intelligit vitalem & animosam: tales enim habent pectus magnum & bene compactum, à copia caloris & spirituum, à qua robur facultatis vitalis.

TEXTVS.

QVicunque autem imbecille & carne denudatum, nec bene compactum, molles sunt. Referuntur ad fœminam: contrariorum contraria sunt consequentia

Quibuscumque autem Metaphrenum, curuum est valde, musculique ad pectus coacti, ma-

li moris sunt: referuntur ad apparentem conueniētiam quia in parte antica pectoris nō apparent ea quæ conuenienter & decenter aspiciuntur.

SCHOLIA.

Metaphrenum potest incuruari introrsum & lordosim parere, aut extrorsum & cuphosim producere: Verum dispositio musculorum quæ ab Aristotele describitur demonstrat facile in quam partem incuruetur Metaphrenum: cùm enim musculi ad pectus sunt contracti extrorsum inflecti & Cuphosim generari est necesse.

Antrorsum enim illa inclinatio musculos pectorales ad pectus cogit. Id etiam potest confirmari ex postrema particula propositionis, cum inquit, quia in parte pectoris antica non apparent ea quæ conuenienter & decenter aspiciuntur, quales sunt mammæ ornamento hominibus datæ, pectoris elatio venusta, quæ facit ad splendorem gestus: Tales homines male moratos prenunciat: mali autem mores cùm diuersorum sint generum nascuntur namque ex vitijs diuersis, de quo intelligat, dubium est. Qui ita sunt constituti cum habeant pectus malè compactum, debiles sunt & fœminei, ex superiori Theoremate: cum autem homo est debilis nititur nihilominus celare impotentiam, quam ob causam præstare contendit astutia & vafricie quod viribus nequit. Dolos ergo cogitat tota die, quibus alios decipiat, astuti vero dis-

ſimulatores fraudulenti. Quamobrem ingenioſi exiſtimantur ab ignaris, ſubinde hoc proferentes prouerbium.

Is viget ingenio cui vim natura negauit.

Quò enim minus viribus poſſunt, aſtutiam ſibi comparant & fraudem. Omnes Giberi aut per Cuphoſim aut lordoſim pleni ſunt aſtutijs : Inter quos tamen neminem nequiorem terra vnquam tulit, Aquenſi quodam gibero Reinaudo.

TEXTVS.

QVicumque autem Metaphrenum eminens habent glorioſi, & non intelligentes, referuntur ad equos.

SCHOLIA.

PEctus eminens altitudinem eius oſtendit. A Porta illud expreſſit figura erecta Pauonis, & Galli : ridetque interpretationem Sueſſani commentario in hoc effatum. Pauoni autem attribuit inter alites, tum intellectum, tum gloriam. Ariſtot. de ſuperbia & ſtultitia loquitur. Superbia ex D. Auguſtino 14. de ciuitate Dei eſt peruerſæ celſitudinis appetitus. Is naſcitur ex imaginatione celſitudinis, quæ conſiſtit in virium corporis aut animi opinione grandi vera, vel falſa. Vires corporis potiſſimum conſiſtunt in animoſa facultate, quam Medici vitalem appellant. Atqui Metaphrenum habent eminens, pollent illa ma-

xime facultate: ergo superbi natura sunt, non autem intelligentes: an stulti disquirẽdum? superbia efficit vt homo expetat ea, quæ sunt contra rationem humanam: Nulla enim in homine, quatenus homo, celsitudo, cùm in eo omnia sint caduca, præter intellectum, qui informis sua natura postulat disciplinis excoli, quas recipit ab alijs. Postremus est in ordine earum rerum quæ intelligunt. Humilis ergo esse debet, & nõ superbus. Ab Arist. ergo non intelligentem vocari existimo talem hominem quia à rationis tramite aberrat longissimè. Referuntur autem ad equos, qui animosi sint & elati, vnde dictus est equus generosus:

TEXTVS.

QVi metaphrenum mediocriter constitutum habent, inter concauum, & curuum: sunt bene nati, namque virtus in mediocritate consistit.

Quibuscumque ceruix, & scapulæ sunt articulis eminentibus, ij plurimum valent animæ facultatibus, referuntur ad masculeum: Quibus vero ceruix imbecillis & inarticulata, molles sunt, & referuntur ad fæminas, eadem enim dico quæ de pedibus & coxis dicta sunt.

SCHOLIA.

EX his postremis Aristotelis verbis quisque facile intelligere potest ad illas demonstratio-

nes esse recurrendum quæ de pedibus & coxis sunt explicatæ, ad quas etiam lectorem relego.

TEXTVS.

QVibuscunque scapulæ sunt latæ, magnæ, & distantes liberales sunt, referuntur ad apparentem decentiam, quia tali formæ ipsa conuenit liberalitas.

SCHOLIA.

LAtæ scapulæ sunt propter latitudinem partis superioris pectoris, costarum scilicet primarum, quæ veræ dicuntur: tum etiam ob longitudinem clauicularum: quò enim clauiculæ longiores existunt, eò Omoplatæ distant magis vnde latitudo scapularum pendet: magnæ autem sunt musculorum crassitiæ, hæc autem robur efformatricis ostendunt, & animosæ facultatis quę residet in pectore vim, tum motricis voluntariæ, ob musculorum robur: tales autem cùm viribus polleant corporis, Fortunæ bona contemnunt: Nemo enim est auarus naturaliter, nisi parum fidat suis viribus; cum enim intra se nō habeat, cui fidere possit, externū omni studio auxilium peruestigat: A contrarijs ergo qui suis fidit viribus in se omnia posita putat, quocirca dat liberaliter sua: Conueniens autem putat Aristoteles vt Largus scapulis largiter, sua bona amicis erroget.

TEX

TEXTVS.

QVibus verò strictæ scapulæ & contractæ illiberales & referuntur ad decentem conuenientiam.

SCHOLIA.

HÆc propositio à contrarijs probatur.

TEXTVS.

QVibus claiculæ agiles sunt acumine sensuum valent, nam cum clauiculæ facile soluantur, facile sensuum species excipiunt.

SCHOLIA.

CLauiculæ mouentur ad motum scapularum siue Omoplatæ, motus facilitas non nascitur ex articulationis specie siue modo: sed potius ex musculorum moderata mollicie. Molle namque facile, durum ægre mouetur, ea enim est argumentum bonæ temperiei. Carnes verò molles sunt, indicium ingenij perspicacis ex Aristot. cap. 9.lib.2.de anima, quod existere nullo modo potest sine sensuum agilitate. Quocirca agilitas clauicularum significat sensuum acumen.

TEXTVS.

QVibus Clauiculæ, difficile commouentur, animo sunt obtusi, clauiculis namque difficille commotis, quî fieri potest vt sensus in percipiendis res sensibiles non languescant.

SCHOLIA.

PRobatur ex contrarijs.

TEXTVS.

QVi crassam habent ceruicem, robustam animi vim obtinent, referuntur ad masculos: Qui vero tenuem languidam & imbecillam referuntur ad fœminas.

SCHOLIA.

CRassa ceruix efficitur ex ossium illius crassitie, tum ex musculorum magnitudine, qui collo adhærent, illudque constituunt: sæpissime autem demonstratum est ossium crassitiem & musculorum significare, robur naturæ efformantis, & ministri illius caloris.

TEXTVS.

QVi collum habent crassum & plenum, Iracundi sunt, vt vertit prima fronte à Por-

ta, Lacuna vero, quibus ceruix crassa, simul & plena est, ij demum sunt animosi: referuntur ad animosos Tauros.

SCHOLIA.

IDem à Porta paulo post fatetur in textu legi θυμοειδῆ. Quare melius dicuntur animosi, quam iracundi, confirmat vero secundam interpretationem, quòd Taurus animo incitatus, eo impetu cornibus appetit, eaque impotentis animi effrenatione fertur, nihil vt eum, neque bubulcus, neque metus vllus reprimere queat. Animosa facultas ex copia nascitur caloris coacti in corde ex quo nata propositio illa, vt in paruo corde, animi sit plurimum. An qui ceruicem habent crassam simul, & plenam, cor paruum gerant, necne, & abundent calore multo? caloris abundantia conijcitur ex crassitie ceruicis, vti demonstratum fuit: Plenitudo autem illius potest pendere ex carne aut pinguidine: Carne plenam ceruicem intelligendum: Cordis autem paruitas quî potest ex eo conijci? facile siquidem per collum, crassum, & plenum, intelligamus & firmum: nam si duræ sint carnes ceruicis, cordis caro dura erit, quæ cum difficile dilatetur constituit cordis molem exiguam, proportione. Quare animositatis plenam; vera ergo erit propositio.

TEXTVS.

QVibus ceruix non est admodum crassa, sed oblonga & procerosa. Ij sunt magnanimi, referuntur ad Leones.

SCHOLIA.

HAnc esse genuinam textus versionem, probatur ex his quæ Aristoteles tradidit de Leone principio huius operis: Cũ inquit Leonis ceruicem esse oblongam; crassitie mediocrem; Magnanimitas est excelsi atque inuicti animi magnitudo, & robur, atque firmitas ad res magnas gerendas: Hæc autem virtus debilibus non innascitur, sed robustis: robur autem corporis significatur mediocri crassitie & longitudine ceruicis, in quibus robur efformatricis, crassitiei autem mediocris firmitas adiungatur est necesse, quo cordis mediocris quantitas significatur, vt superius ostensum est ad magnanimitatem necessaria, referri verò ad Leones apertum est, ex colli caractere, & virtutis genere, licèt in Leone ferocitas dicatur non virtus, quia ratione non regatur.

TEXTVS.

QVibus ceruix est prætenuis & prolixa, timidi referuntur ad Ceruos.

SCHOLIA.

EX imbecillitate timor, tales autem ſunt debiles.

TEXTVS.

QVibus ceruix eſt breuiſcula, ſunt inſidiatores, & referuntur ad lupos.

SCHOLIA.

VNius animalis vna proprietas eſt, omnes vero lupo attribuunt voracitatem fame namque obſeſſum, terram vorare tradunt: Inſidias autem, & aſtutiam vulpi, vt colligere eſt ex fabulis Æſopi, in quibus ſæpe lupus à vulpe deluſus, legitur, cur ergo inſidiator lupus dicitur? ſuas quid enim aſtutias vnumquodque animal habet, quibus alios decipiat ad victus, aut alterius rei commoditatem. Quare cum vorax ſit, plures inſidias animalibus reliquis parare facile exiſtimauerim. Sed voracitas cauſa inſidiarum. An qui lupo ceruice eſt ſimilis, ſit etiam par moribus: Si ad colli breuitatem voracitas ſequatur, voraces quia multa vorant & bona obliguriunt ad edulia comparanda aſtutijs pleni ſunt: Verum quæ ſimilitudo colli breuis ad hepatis vaſtitatem, ex quo voracitas: An qui collo ſunt breui hepate magno exiſtunt: Breuis ceruix craſſa eſſe ſolet, quod enim detrahitur longitudini, latitudini adiungitur: Magnum autem iecur exce-

dit latitudine, quare ſi proportio membro ſeruetur aliqua in coporibus, cum ceruix lata eſt, vt hepar latum ſit probabile videtur.

DE LABIIS.

TEXTVS.

Labia tenuia eadem laxa iuxta labiorum angulos: ita vt partes ſuperiores cadant ſuper Inferiores, ii magnanimi ſunt: quod nimirum ad leones refertur: id etiam videre licet in proceroſis ſimul, & robuſtis canibus.

SCHOLIA.

Licet hoc verum ſit in quibuſdam animalibus, in homine tamen forſan. falſum, neque probari poteſt niſi aut multorum experientia, aut ratione, hoc poſtremo modo difficillimum eſt confirmare hanc ſententiam, cum magnanimitatis baſim in copia caloris innati, & cordis paruitate antea conſtituerimus: ſi quid tamen probabiliter dici poteſt. Ita inquirendum, tenuia labia caloris & ſiccitatis dominatum oſtendunt, labia namque conſtrui ex muſculo raro, & molli Anatomicis eſt perſpectum, ſiccitatis eſt combibendo coarctare, & caloris, diſſipando idem præſtare. Corporis ergo membra firma denique & coacta erunt in tali temperie: at laxa dicuntur labia iuxta angulos oris: laxum autem, duro aduerſatur, nomine laxi intel-

ligit Aristoteles propendens ob longitudinem, verum si dura sunt proindeque coacta, quo pacto longa, & propendentia fingi possunt. Longitudo ex abundanti materia, tenuitas ex siccitate & calore abundans ergo illa materia eò propulsata robur naturæ indicat, eòque maius, quò illa pars est magis exterior.

TEXTVS.

QVibus labia gracilia dura, & iuxta caninos dentes tumentia, ignobiles sunt, & ad sues referuntur.

SCHOLIA.

SVili pecoris proprium videtur sordida ingurgitatio, quæ verè indecora dici potest: omnium enim gestuum & actionũ nostri corporis ea maxime indecora censenda, quæ cibos sumendo honestum non seruat modum: in actionibus autem non seruare decorum, ignobile existimatur.

TEXTVS.

QVicumque crassa sortiuntur labra, sed inferiore superius magis demissum, stulti referuntur ad asinos.

SCHOLIA.

LAbrum ſuperius demitti quia pendulum non eſt mirum, noluit tamen natura propendere, quia faciei venuſtati maxime officit: ſi ergo demittatur ſupra labrum inferius, vt videre eſt in aſinis. Oportet hoc in homine fieri propter abundantiam humoris à quo emolitæ carnes extenduntur, & demittuntur: humiditatis vero copia fatuitatem inducere non ſemel probatum eſt, in hoc commentario. Baptiſta à porta hanc labri diſpoſitionem prudentiæ ſignum ſcribit, quod Alces ex Pauſania ſagaciſſimum ſit animal, habeatque labrum ſuperius prominens: aliud eſt naturæ conſtitutio & efformatio in ſpecie, aliud in indiuiduo: omnes Alces tale gerunt labrum homines vero nequaquam, & aſini omnes tale habent labrum ſuperius. verum eſt, ſed aptior fuiſſet hominis talis cum aſinino collatio, propter morum ſimilitudinem, quam cum Alce ſagaciſſimo, non enim quia homo habet aliquid ſimile animali alicui eſt moribus illi ſimilis. Sed ſi quid haberet homo cum animali commune, & moribus conueniant, ſatius eſt referre ad animal cum quo conuenit moribus, quam cum eo cui diſſimilis eſt.

TEXTVS.

QVi ſuperius labrum gingiuaſque prominentes habent, ad conuitia & maledicendum proni ſunt, & referuntur ad canes.

SCHOLIA.

A Porta reprehendit Aristotelem, quod canes huiusmodi labra non habeant. Aristoteles non refert ad canes similitudine labiorum: sed morum: si namque in vniuerso fuisset nactus aliquod animal labiis & moribus simile, ad illud retulisset. Gingiuæ ossis mandibulæ superioris efformationem, sequuntur, elatum ergo os superioris mandibulæ, qua parte dentes inseruuntur, gingiuas elatas facit, labrumque elatum & prominens, illi nãque suprema parte incumbit: ossis vero illius eminentia robur significat efformatricis, proindeque spirituum, & caloris innati copiam viresque robustas, figuræ partium elatæ audaciam conciliant, & superbiam, quasi qui partibus corporis alios superant excellentiores existant, si vero solent despici ab aliis vt deformes. Eam ob causam quo iniurias propulsent, aliis conuitiantur, & maledictis reliquos lacessunt.

DE NASO.

TEXTVS.

QVi pinnulas narium sortiuntur crassas, pigri admodum sunt, referuntur ad boues.

SCHOLIA.

NArium pinnulæ constant musculis internis & externis exiguis, cartilagini adhærentibus,

ad claudendam, & dilatandam extremam narium partem: ea ſi craſſa ſit, demonſtrat corpus totum eſſe valde carnoſum, & molle. In loco namque ſicco tantum carnis procreari non poteſt, niſi mollis ſit, & abundans, atqui ſunt molles carne, pigri exiſtunt quod & mollibus ſint muſculis & neruis, ex quo lente mouentur, qui motus, niſi ex inſtituto ad grauitatem comparetur, pigritiæ indicium eſt neceſſarium: adde quod difficile agitetur multa carnis moles: boues vero pigri dicuntur, ex tarditate greſſus.

TEXTVS.

QVi nares ſuperiori parte denſas habent ſenſibus ſunt ſtupidi: referuntur ad ſues.

SCHOLIA.

DEnſitas narium arguit denſitatem carnis, quæ indicium eſt ſtupiditatis ſenſus: nam cum ſenſus fiat recipiendo & præſertim tactus: ad recipiendum vero obiectum raritate ſit opus, ſi denſæ ſint carnes, difficile recipitur obiectum, quare obtusè ſentiunt, quorum carnes ſunt denſæ: ſues autem ſenſibus ſunt ſtupidi, propter craſſitatem corporis.

TEXTVS.

QVi nares habent oblongas, & in acutum deſinentes, iracundi ſunt, & referuntur ad canes.

SCHOLIA.

ACutæ ſunt nares in macilentis, macies naturalis ex caloris & ſiccitatis dominio, in quibus vero dominatur caliditas & ſiccitas: hi bilioſi, & iracundi. Ergo qui nares habent acutas iracundi: canis iracundum eſt animal, vt ex eius frequenti latratu colligi poteſt.

TEXTVS.

QVi extremas nares habent rotundas pariter & obtuſas, magnanimi: referuntur ad leones.

SCHOLIA.

ROtunditas narium robur facultatis efformatricis demonſtrat: rotundum enim maius ſpatium continet, maioremque molem: maius autem difficilius efformatur, ad quod præſtandum, opus eſt facultate vegetiori: cum rotunditate vero, firmitas requiritur, ad robur corporis, vt ad leonem referatur.

TEXTVS.

QVi extremas nares habent prætenues, auiũ naturam participant.

SCHOLIA.

TEnuitas narium ex ſuperioribus priuatione carnis contingit. In illa parte, proinde calorem & ſiccitatem excedentem ex quo imaginatio-

nis volubilitas, & inconſtantia hinc loquutionis copia, more auicularum.

TEXTVS.

QVi naſum habent aduncum prope frontem impudentes ſunt. referuntur ad coruos.

SCHOLIA.

NAſi aduncitas, aut eſt prope frontem aut à fronte parum remota: ita vt inter aduncitatem & frontem interſit cauitas aliqua, primam hoc loco intelligit Ariſtoteles, ea naſcitur ab oſſium naſi ſuprema parte, extuberante, & elata quæ ſignificat humoris craſſioris abundãtiam, in ea parte, & facultatis efformatricis robur: Impudentes autem dicuntur qui nullam habent rationem ſui honoris, quia aut non norunt, nec vllam habent honoris opinionem: aut quod ſeſe omnibus præferant: Puto neminem eſſe adeo ſtupidum qui honoris proprij aliquam non habeat cognitionem. Quocirca exiſtimo hos eſſe impudentes ac inuerecundos propterea quod ſunt elato animo, ſeſeque præferant omnibus: Huius veſanæ opinionis cauſa eſt ſpiritum in cerebro exiſtentium copia & craſſities quibus fit vt in illis naſcatur fantaſia tanti roboris, & fortitudinis, vt neminem ſibi parem eſſe exiſtiment. cum ergo tales ſe eſſe arbitrentur impudentes ſunt, opinantes omnia decenter ab his agi, omnique reprehenſione carere, aut hoc illis condonandum propter excellentem eorum virtu-

tem falsò imaginatam, vnde etiam accidit, vt aliorum bona ad se pertinere putent, quocirca ea impudentes rapiunt.

TEXTVS.

QVi nasum habent aduncum, more aquilæ sunt magnanimi, referuntur ad aquilas.

SCHOLIA.

ADuncitas hæc habet cauitatem interiectam, inter frontem & aduncitatem, quæ nascitur ex osse extuberante ea parte, vnde coniicitur copia magna crassi humoris, & facultatis formatricis robur: hincque denuo sequitur, vt impudentes existant ex superioribus: tamen ab Aristotele dicuntur magnanimi, maxime ab impudentibus dissimiles, quod magnanimitas virtus sit, quippe excelsi atque inuicti animi magnitudo, ad res magnas gerendas: inuerecundia vero vitium verecundiæ honestæ oppositum. Ioannes Baptista Porta ex Aquilæ innatis moribus per similitudinem conformationis reddit rationem propositæ quæstionis suo more, nos ex principiis naturalib. hominis, eo pacto efformati, ducendam existimamus, cum ex illis propensiones & inclinationes ortum ducant, quod certe hac in re per arduum iudicamus, præsertim cum à similibus causis non soleant nasci effectus dissimiles. Magnanimitas vero, ab inuerecũdia maxime sit differens: tamen inuerecundus habet aliquid simile magnanimo, quod vt magnanimus se

dignum magnis honoribns propter virtutem putat: ita inuerecundus nullo ſe poſſe dedecore affici autumat, quare ſe honore dignum putat. Verum quænam cauſa erit differentiæ opinionis veræ, & falſæ in mente, cum eadem ſit fere conformatio, differens tantum partis loco; cur ergo elatio in principio naſi exorta erit cauſa falſæ opinionis, & inuerecundiæ, in medio vero naſo, cum cauitate in principio, veræ opinionis honeſtæ & magnanimitatis. Virtutes ſunt habitus: tamen ex Ariſtotele cap. 7. lib. 2. magnorum moralium principium ad virtutẽ magis videtur affectio probe affecta, quàm ratio. Erunt ergo magnanimus & inuerecundus in affectione naturali differentes, vt vnus naturaliter feratur ad honeſta, alter ad dedecora & inhoneſta. An nulli magnanimi naturæ inſtinctu, ſed omnes inuerecundi & elati fierique progreſſu ætatis vt dignoſcendo honeſta & verecunda fiant magnanimi, nemoque ſit magnanimus qnam prius fuerit impudens, quod iſta quæ vulgus cenſet honeſta, ille contemnat ad maiora tendens. An propoſitiones hæ ſola experientia probandę, ob ſimilitudinem ab animalinm conformatione deſumptam.

TEXTVS.

QVi nares concauas habent, & ex frontis regione rotundas: ſi modo talis circumferentiæ ſuperiora reſpiciat, laſciui: Referuntur ad Gallos.

SCHOLIA.

GAlli lasciui sunt, illi vero partem illam rostri aut narium habent elatam & eminentem, atque ideo similitudine quadam Gallos referunt. Verum id quidem est. At ex figuris non iudicamus de viribus nisi, vt conformationes sunt indicia temperiei, à qua propensio ortum ducit. Cauitas narium, & amplitudo (nam hominum omnium nares sunt causæ naturaliter, vsque ad ossa ethmoidea) tum rotunditas in radice nasi demonstrant caloris quantitatem abundantem, cuius est dilatare partes corporis: atque eò magis ille calor ostenditur, cum nasus sit externa pars corporis ossea & cartilaginea, quæ difficilius dilatatur, quã aliæ, quæ constant partibus mollioribus.

TEXTVS.

QVorum nares simæ, sunt luxuriosi: referuntur ad ceruos

SCHOLIA.

NAres simæ dicuntur quæ compressæ sunt parte superiori. Illa nasi constitutio cernitur in pueris recens natis. In quibus ossa teneriora deprimuntur facile: Quamobrem solent obstetrices nasi partes laterales pollice & indice apprehensas comprimere, quo citius aboleatur puerorum simitas, ad pulchritudinem potius, quam ad vitæ commoditatem, ita enim aliquando ab illis

comprimuntur; vt minus ſint commodæ expurgando muco. Huius Aphoriſmi rationem poſſumus reddere ex Problemate vltimo ſect. 32. in quo Ariſtoteles quærit cur homines capillo criſpo magna ex parte ſint reſimiores. Reſpondet Ariſt. Criſpitudinem ſitam eſſe in craſſitie: Craſſities vero non eſt ſine duritie, at durus ſanguis calidior eſt, calor materiam excreſcere inutilem minus patitur, os autem ex ſuperflua materia eſt, & cartilago nihil niſi os eſt. Merito ergo diminutio naſi ſequitur: Probat autem exemplo puerorum qui omnes ſimi exiſtunt. Hanc rationem oppugnat Apponenſis. Primo quia conſpexit criſpos, qui ſimi non erant, ſed Aquilini: ſecundo quia, vt loquitur calidum non cauſat ſimitatem, ſed potius aquilinitatem, cum partes extendat vnde calidi natura ſunt valde Aquilini & non ſimi. Quare concludit hoc modo, cum reuerentia omni magiſtrique obedientia, quod ſimitas pertractata non cauſatur à caliditate non faciente, ac relinquente ſuperfluitatem ex qua poſſit os naſi, & cartilago ſufficienter generari. Verum potius à caliditate debili multo humido ſuppeditante, quare in natura frigidis cerebris & locis, naſi nam parũ fiunt ſimi, in calidis autem Aquilini, quod indicant pueri phlegmatici, non parum ſaltem accidente, propter enim materiam multam phlegmaticam, & calidum debilius non poteſt fieri extenſio naſi, cuius ſignum eſt: quod in regionibus calidis non ſolum naſi protenduntur, ſed etiam labia: Quę reprehenſio calculatore indigna mihi videtu: rationamque formalis Ariſtotelis eſt craſſi-
ties

ties sanguinis, & durities partis à calore nata, non permittit vt nasus crescat. Confirmat autem exẽplo puerorum, qui simi existunt, quòd materia nõ possit extendi, quæ ratio est formalis, licet causa diuersa: quare ita erat distinguendum simitatem nasci ex impedimento dilatationis, quod nascitur ex crassitie materiæ. In pueris crassa est & viscida mollis tamen. In adultis crassa, & sicca: quare fit in pueris plurimis, vt simitas euanescat: In his vero quorum sanguis est crassus, & partes ex eo genitæ prædurae, nunquam tollatur.

Quantum ad experientias Crispi fiunt homines ex Galeno, aut materiæ pilorum siccitate, aut pororum flexuositate: qui à siccitate fiunt crispi sunt resimi vti Æthiòpes, in quibus contra eius sententiam nasi resimi fiunt, & labra protẽdũtur.

Veniamus ergo ad conclusionem. Omnes qui sunt simi propter densitatem & duritiem materiæ, existunt calidi per calorem acrem titillationem producentem. Ergo tales sunt Veneri dediti, qui vero copia materiæ phlegmaticæ sunt resimi. Frigidi haberi possunt.

TEXTVS.

QVi narium foramina habent expansa, iracundi, ad illum refertur affectum, qui cum animi impetu nascitur.

SCHOLIA.

LAtitudo membrorum caloris dominium in illis testatur. Vnde posset inferri iracundos tales existere, quòd ira in feruore sanguinis sedẽ habeat, feruor à calore proficiscatur. Verum patu-

læ nares ex conformatione ipſa videtur iracundũ demonſtrare: nam quo calidius eſt cor, eò maiori reſpiratione eſt opus: Maior autem reſpiratio, nõ poteſt fieri niſi per inſtrumenta larga, & ampla. Quare concludendum, latas nares eſſe effectas ad magnitudinem reſpirationis, propter cordis æſtum. Atqui cor calidum commouet iras, ergo patulæ nares ſunt indicium iracundi.

TEXTVS.

QVuicunque f ciem habent carnoſam, pigri, referuntur ad boues.

SCHOLIA.

PEtenda huius propoſitionis probatio ex comment. cap. de naſo.

DE FACIE.

TEXTVS.

QVi facie ſunt macilenti, agiles ſunt, & diligentes.

SCHOLIA.

MAcies naturalis ex calore ſicco dominante, quare qui macilenti ſunt pondere carnis non grauantur, vnde agiliores redduntur. Nihil enim æquè aduerſatur agilitati, ac carnis inutile pondus. Præterea muſculi & nerui in illis ſunt ſicciores, à quibus robur: leue ergo pondus à muſculis robuſtis celeriter mouetur.

Diligentia verò eſt promptitudo in negotijs peragendis, naſcitur verò ex ſpirituum agilitate, quæ ortum ducit ex ſanguine feruidiore.

TEXTVS.

QVi faciem habent præpinguem, timidi: ad asinos & ceruos referuntur.

SCHOLIA.

VTi animositas ex copia spirituum & caloris pendet, quæ generent opinionem fortitudinis: Ita frigiditas timiditatem parit, ex opinione imbecillitatis: atqui pingues sunt frigidi ergo timidi: naturâ: semper enim de moribus innatis intelligendæ sunt hæ propositiones.

TEXTVS.

QVi rursus habent exiguam, pusillanimes ad felem & simiam referuntur.

SCHOLIA.

CAloris est dilatare, frigoris contrarij contrahere, atqui frigidi pusillanimes, vt felis & simia.

TEXTVS.

QVibus facies magna, tardi: referuntur ad asinos, & boues.

SCHOLIA.

ARguit illa facies quantitatem materiæ efformandæ, caloris vero debilitatem: In magno corpore anima languescit, quod instrumentum eius calor, & spiritus sit dispersus: virtus autem expāsa minor cōtracta: est hinc ergo motuū tarditas.

TEXTVS.

SI igitur nec exigua nec admodum procerosa debet esse, sane quæ medium habitum inter hæc extrema tenuerit facies, eadem fuerit com-

mendatissima.

SCHOLIA.

FAcies illa omnibus præferenda videtur, quæ nec exigua, nec admodum procerosa, mediũ tenet inter vtramque.

SCHOLIA.

QVibus vultus est abiectus, illiberales: refertur ad decentem venustatem.

SCHOLIA.

ABiecti vultus figura non depingitur: abiectus vero ab illiberali quomodo differat difficile comprehenditur. Nemo enim abiectus liberalis est habendus, puto ego abiectum, Intellexisse vultum illum, cuius partes & præsertim oculi, sunt demissæ vel toruæ, & rusticitatem præ se ferentes.

DE PALPEBRIS.

TEXTVS.

QVibus palpebræ tanquam vesicæ appenduntur, temulenti: ad Ebrietatẽ refertur.

SCHOLIA.

PAlpebræ constant membrana ex pericranio deriuata, & musculis exilibus: mabranæ natura sicca est, eius musculi fere membranei. Quæ sicca sunt extenduntur: difficile: Oportet ergo vt extendantur, humectari palpebras, & vt vesicę modo inflentur, flatu repleri, à calore debilinato: ex palpebrarum humiditate: de humiditate reliqui corporis ferendum est iudicium: humor vero non

potest tantus in corpore colligi sine potione frequenti: appetunt ergo maxime potum tales, qui nisi temperantiæ habitu à vini meracioris potu abducantur, eos esse temulentos, & vini potatores certò possumus iudicare.

TEXTVS.

QVibus ea quæ in circuitu oculorum sunt admodum concidentia videntur, & vt vesiculæ, somnolenti, & referuntur ad ipsum soporem.

SCHOLIA.

HÆc ex superioribus demonstratur humore namque diffluentes soporosi sunt, quod humoris abundantia soporem inducat, qui euigilantur habent oculos tumentes præ humore.

DE OCVLIS.

TEXTVS

QVi oculos exiguos habent pusillamines ad decentem venustatem refertur, & ad simiam.

SCHOLIA.

PArtuitas oculorum, materiæ penuriam in illa parte ostendit, ex qua pusillanimitas coniici potest, ex Aristotele, Porta scribit illos esse calidos & vafros, quod animalia paruis oculis prædita, vt vulpes & Torpedo, & alia sint astuta, & vafra: astutia est simulata prudētia, & apparens, definitur namque cogitatio simulatorum & falsorum mediorum, ad finem malum consequendum: astutus

namque media capit ſimulata ad finem adipiſcendum. Quamobrem decipit homines: exiſtimant enim omnes illum eſſe bonum, & prudentem propter media apparenter bona, qui tamen malus eſt reuera: ita vulpes lupo ſuadebat, vt multa comederet, quod erat amicitiæ ſignum: ſibi tamen finem malum propoſuerat, nempe vt lupus non poſſet plenior factus, egredi è foramine anguſto per quod erat in caſeariam ingreſſus: Aſtuti nunquam ſunt magnanimi: hi enim ſibi proponunt vera bona, & media vera, contrà vero puſillanimes, falſa, & ſimulata media, quo minus enim viribus poſſunt, conſcij ipſis ſibi, aſtutiam ſibi comparant, puſillanimes ergo ſunt aſtuti: intelligit autem Ariſt. paruos oculos comparatione cæterarum partium, quæ deformitas arguit puſillanimitatem, ob formatricis debilitatem.

TEXTVS.

QVi oculos ingentes habent, pigri: referuntur ad boues: qui vero fælicißimi fruttur corporis habitudine, oportet vt nec impensè magnos, nec paruos ſortiatur oculos.

SCHOLIA.

OCulorum magnitudo dicitur comparatione facta cum reliquis partibus, quas magnitudine excedunt proportione ſeruata, ea ſignificat humoris abundantiam excedentem, cum qua, facultas robuſta eſſe non poteſt, præſertim motrix: pigritia enim eſt defectus, in exequendo quod propoſitum eſt: maxima vero pars executionem fit motu progreſſiuo, qui quoniam laborioſus eſt fu-

gitur à pigris, quos sapiens relegat ad formicas, quæ motu fere perenni quærunt ea quæ ad victum necessaria putantur: mediocritas autem in omni partium conformatione maxime probatur.

TEXTVS.

QVi habent oculos multum depressos, vafri & veteratores: referuntur ad simiam.

SCHOLIA.

DEpressio oculorum paruos efficit oculos: atqui exiguitas oculorum pusillanimitatis erat indicium: quoniam ergo tales debiles sunt, astuti efficiuntur. Quare qui oculos habent valde depressos, vafri existunt.

TEXTVS.

QVi oculis sunt prominẽtibus, stupidi: ad decentem venustatem, asinosque referuntur. Quando igitur, aut prominulos, aut depressos oculos esse oportet: media inter has habitudo omnibus est præferenda.

SCHOLIA.

PRominentes sunt oculi ob magnitudinem, magnitudo autem materiæ copiam cum facultatis debilitate patefacit. Tales autem sunt corpore vasto, cui anima nutriendo prospiciat oportet. Atqui positum in principio huius operis ex vehementi contentione vnius facultatis in sua operatione, alias facultates remitti: fiunt ergo tales stupidi, stupor est cognitionis defectus, & tarditas.

TEXTVS.

QVibus oculi sunt parum depreßi, magnanimi, & referuntur ad leones.

SCHOLIA.

DEpressos intelligit oculos, profundos, & fere occultos: ij videndi facultate pollent, quòd spiritus visorij vniantur & colligantur: fiunt vero tales à siccitate quæ ferocitatem inducit, præsertim si fuerit tum calore vehementi coniuncta: leones sunt calidi sicci, nihil ergo mirum si tales leonis mores referant.

TEXTVS.

QVibus magis depreßi, mansueti, referuntur ad oues.

SCHOLIA.

MAnsuetus est qui cum ratione irascitur, aut qui facile parcit: ira ex humore bilioso nascitur circa cor feruente, qui valde depressos habent oculos sunt temperati: partes namque in caloris abundantia extumescunt: depressio ergo oculorum ex temperie caloris quæ mansuetudinis causa existit.

DE FRONTE.

TEXTVS.

QVi frontem habent exiguam imperiti, referuntur ad sues.

SCHOLIA.

EX fronte qua ratione pars est faciei exterior, nō ducitur argumentū præstantiæ, aut debilitatis ingenij, sed qnatenus per eius conformationem colligimus quantitatem cerebri, ossibus frõtis comprehensam. Quod vt intelligatur animaduertendum est Arabes designasse varias sedes cerbri diuersis animæ facultatibus, nimirū quod læsiones partium cerebri diuersarum, essent causæ læsionis diuersæ facultatis: ex ictu enim in postrema parte capitis recepto lædi memoriam opinati sunt, ex percussione in fronte imaginatioem, atque ita deceteris. Galenus autem in parte solida omnes facultates exerceri autumauit beneficio temperamenti illius: De qua re fusiùs egimus lib. de facultatibus. Atque si Arabes conspexissent, quæ ab Anatomicis recentioribus detecta sunt, de neruis à cerebro nascentibus collocassent imaginationem, rationem & reliquas principes facultates: in postrema parte substantiæ cerebri aqua omne nerui principium ducunt: quod aspectu ipso probari potest. Si vero sit ac in re philosophandum ex doctrina Aristotelis, mirum est quo pacto velit à indicijs sumptis ex fronte, aut ex capite conijcere de facultatibus principibus, cum ex eius opinione exerceantur in corde, an cerebri exiguitas cordis paruitatem ostendit. At qui sunt paruo corde, prospicaces habentur, & animosi, perspicuitas ingenij insipientiæ aduersari videtur: Aristotelis ergo opinio de cerebro quæ in nostro Medecinæ cursu refutata est, ex sententia Galeni & veritate falsa est, ipseque nihil tale cogitans: In

his Physiognomicis sibi reclamat & contradicit euidenter. Dicamus ergo paruam frontem exiguam substantiam cerebri significare, in qua spiritus animales pauci continentur, fieri que ideo vt defectu spirituum, rationis actio non possit esse excellens, vnde imperitia nascitur.

TEXTVS.

QVi vero impensè vastam, torpidi, referuntur ad boues.

SCHOLIA.

SPiritus in vasta fronte & vasto cerebro sunt sparsi: Virtus sparsa est minor collecta: ergo Torpidi sunt qui vastum habent cerebrum. Vnde ergo Bordini Massiliensè tantum ingenij acumen, cum habeat caput adeo vastum, vt nullo pacto rectus posset manere, sed cogatur sedere semper, aut cubare, sedendoque caput aliqua re firma sustentare. Cerebri illius substantia erat mediocris, sed caro externa supercreuerat in illã vastitatẽ.

TEXTVS.

SI frontem habeant rotundam, stupidi: refertur ad asinos.

SCHOLIA.

POrta ex Polemone & Adamantio præstantissimis Physiognomis dilucidioribus verbis ponit frontem gibbosam, altam & rotundam, qualis est asinorum: in ea vero pauca cerebri substantia stupidos facit.

TEXTVS.

CÆterum qui frontem habent minorem, solidam tamen, stupidi, refertur ad canes.

SCHOLIA.

EAdē est ratio huius propositi, quæ superoris.

TEXTVS.

QVi frontem habent ad amussim quadratam, magnanimi, referuntur ad leones.

SCHOLIA.

QVadrata frons plurimum cerebri continet in mediocritate tamen consistit. Quare mirum non est si magnanimitatem significet, ob copiam spirituum.

TEXTVS.

QVi torua sunt fro̅t.,audaces habentur,quod ad ipsum affectum referri solet.

Verum licet in canibus ipsis videre dum adulantur, eos vultum habere tranquillum.

SCHOLIA.

QVandoquidem ipsius faciei habitudo, torua quidem,audaciam : tranquilla vero adulationem significat manifestum est,mediam inter has habitudinem omnium esse absolutissimam.

TEXTVS.

QVi tristem tetricumque possidet vultum, aliqua anxietate tenentur: Idque ipsius affectus naturæ vertitur, siquidem qui discruciantur amarulentum vultum ostendunt.

Ad hæc qui inamœnum sortiuntur vultum, queruli, vertitur etiam ipsi affectui, quandoquidem qui conqueruntur inamœnum vultum ostendunt.

Qui magnum caput ſortiuntur pollent ſenſu plurimo. Qui vero paruum ſenſibus ſunt obtuſi, referuntur ad aſinos.

SCHOLIA.

ADuerſari videtur hæc ſententia vulgato dicterio. Magnum caput, parum ſenſus habere: Senſus nomen non raro ſignificat iudicium. Fieri itaque poteſt, vt qui eſt prægrandi capite, iudicio acri priuetur: Senſus verò vt ſignificat ſenſitiuæ facultatis actionem, videtur æquum, vt qui plurimum cerebri habet in eo ſenſitiua facultas ſit vegeta: Nam cerebrum eſt principium omnium ſenſuum, ex magno namque non niſi magnum oriri iuſtum eſt. Proportio totius corporis hac in re contemplanda, ſi corpori exiguo magnum ſit appoſitum caput, grandes capite erunt debiles iudicio: in eo enim non poſſunt abundare ſpiritus ad ſeruiendum ratiocinationi: Cor enim in exiguo corpore paruum eſt, à quo tanta copia ſpirituum proficiſci non poteſt, vt ſatis ſit viuificando & eas actiones peragendo, quæ principes à Medicis appellantur, nempe ratiocinationem, imaginationem, & Memoriam. In corpore verò bene proportionato poteſt vigere, & iudicium, & ſenſus propter caloris & ſpirituum abundantiam, quæ ſufficiat omnibus operationibus animæ edendis. At in exiguo corpore poteſt ſeruari proportio, verum eſt, ſed copia quæ neceſſaria eſt ſpirituum, procreari nequit.

TEXTVS.

QVi caput instar Pyramidis habent fastigiatum impudentes habentur, & referuntur ad aues curuorum vnguium.

SCHOLIA.

TAles homines prouole capitis vtraque sunt priuati: per exiguam ergo cerebri substantiam habent. Iudicio itaque carentes, impudentes existunt, dedecoris nullum metum habent, nec famæ propriæ, ac honoris rationem vllam, similésque coruis & coturnicibus habentur. Tale caput Homerus tribuit Thersiti, eumque impudentissimum, fuisse testatur.

TEXTVS.

QVi aures habent exiguas moribus imitantur simiam: qui procerosas asinos: Licet etiam in canibus ipsis videre, qui præstantissimi sunt cum moderatas aures habent.

SCHOLIA.

RAtio huius propositionis non aliunde petenda quàm ex superflua materia, aut deficiente.

DE SIGNIS COMPLEXIS morum naturalium hominis.

TEXTVS.

SIgna animalis fortis sunt pilorum asperitas corporis erecta figura, ossa & costæ, sicuti etiam extrema corporis membra robusta, simul, & magna, venter latus atque succinctus, sca-

pulæ etiam latæ à se inuicem separatæ, ita vt nec admodum sint colligatæ, nec plus quam rationi conueniat, sint diremptæ. Ceruix robusta, nec impensè carnosa, pectus latum, & corpulentum, optima coxarum compactio, surarum musculi ad inferiora depulsi: formidabiles oculi, nec admodum corrugati, nec omnino expansi, vel explicati, squalidior ipsius corporis color, frons eminens, atque erecta, non tamen magnitudide prodigiosa, coxæ nec admodum lenes, nec omnino rugosæ.

At timidi signa sunt, lenitudo pilorum, eorumdem ad corporis cutim concidentia, atque in crescendo tarditas incredibilis, suræ ad superiora reuulsæ, faciei color suppallidus, languidi oculi ac frequentissimè conniuentes, languidæ etiam extremæ corporis partes. Exigua crura, manus tenues atque prolixæ. Lumbi etiam parui, atque imbecilli: cæterum figura in motionibus agilis. Quod autem ad mores spectat, timidus malus non est licet socordia ac stupore laboret. Est illi vultus inconstans, atque præ se fert tristitiam.

Porro bonam indolem nobis ostendunt caro humidiuscula, teneriusculaque, sed parum robusta, obesa autem non nimis quæ vero pertinent ad scapulas, faciem atque etiam ceruicem

macilentiora. Scapulæ colligatæ atque ad inferiora demissæ, costæ solutu faciles, dorsum minime corpulentum, color ex rubedine, atque candore conflatus, corpus syncerum, tenuis cuticula, pili admodum asperi: cæterum non valde nigri, oculi valde gratiosi, cæterum humidiusculi.

Stupidi autem & insensati sunt signa, ceruix & crura impendio corpulentiora, vicini quæ partibus colligata, patella rotunda: scapulæ ad superiora retractæ, frons vasta, globosa, ac plurima carne operta. Virides oculi ad videndumque ineptißimi, tibiæ circa malleolos crassæ, carnosæ, atque rotundæ: maxillæ, magnæ, & carnosæ, lumbi impense corpulenti, crura prolixa, crassa ceruix, carnosa facies, ac satis oblonga. Verumtamen motus corporis ac habitum præterea vniuersos faciei gestus, scapulas retorquet stupidus.

Hominis impudentiam declarant, expansi simul, & splendidi oculi, palpebræ rubicundæ, & corpulentæ. Non magni momenti gibbositas, scapulæ ad superiora reuulsæ, figura non recta, sed paulo ad interiora procliuior: in motionibus agilitas magna, corpus rutilum, subsanguineusque color, facies rotunda, ac denique pectus reuulsum.

Qui vero modestus est idem in motionibus tardus, ad disputationes aptissimus, cuius vox tarda est, sed spiritu plena, facilis atque blanda. Oculi illis sunt nigri, nec admodum adaperti, nec conniuentes omnino, sed tarde admodum, concidentes. Etenim oculorum qui celerrimè occluduntur, hi quidem timiditatem: illi verò summam audaciam significant.

Hominem iucundum declarant, frons magnitudine procerosa, æqualis & corpulenta, depressi oculi, somnolenta facies, nec admodum explicata, nec cogitabunda. At in corporis motu tardus sit oportet, atque remissus: in figura vero, ac gestibus minimè celer sed semper modestus videatur. Porro facies rugosa, ac macilenta, præterea distorti oculi atque reuulsi duo nobis significant. Illud quidem molle ac effœminatum, hoc vero solicitum ac triste. Tale antem sortitur homo qui forma quidem humili est, in motu autem remissus.

Cinædi (hoc est, turpissima quadam oblectatione, naturæ ordinem euertentis) indicia sunt, contorti oculi planities genuum, capitis ad dextra inclinatio, manuum lationes languidæ, ac semper ad superiora vergentes. Ingressio duplex, altera quidem contortis lumbis, altera vero erectis: at circunspectio oculorum

lerum qualis erat Dyonisio Sophistæ.

Acerbus in vultu videtur, sæuus, atque etiam minax. Nigro occupatur colore in toto corporis habitu. Faciẽ habet attritam, rugosam ac macilentam, verum prolixis eisdemque nigris capillis abundat.

Animosus autem corpore rectus est, amplisque munitus lateribus.

Iracundus colore rutilo est tinctus, cui scapulæ magnæ sunt, latæ, aliquoque interuallo distinctæ, extremæ autem corporis partes, magnæ atque robustæ. Cæterum circa pectus, & pubem est lenis mento autem Barbatus atque etiam floribus, ambitum vero capillorum ad inferna habet demissum.

Mansuetus ingenio fortis est, & corpulentus humida atque copiosa, carne redundans, procerosa tametsi, nec immoderata præditus magnitudine: verum figura corporis resupina. At capillorum cæsaries mansueto reuulsa est.

Etenim cauillatorem ostendunt, obesa facies, corrugati oculi, facies etiam somnolenta.

Timidus exigua membra sortitur, acideo parum est elegans gracilis etiam est, exiguos-

que oculos habet, ſortitur faciem anguſtam qualis fuit Corinthius Leucadius, [illegible] hoc eſt qui talorum ludo plurimum oblectantur adſtrictis cubitis ſunt ac ſaltatores.

Contumelioſi atque conuitiatores ſunt quibus ſuperius labrum ad ſuperiora retrahitur, quique ſua naturæ præcipites nitidique ſunt. Verum miſericordes ſunt glabri colore ſuffuſi pinguiſculis oculis, nares deſuper politas habentes: idem in dies illachrymantur: iidem etiam ſunt mulieroſi, ac potißimum fœminas gignunt. Quod vero ad mores ſpectat ſunt ad amorem propenſi, maxime pollent memoria, bonaque indole ſunt, atque prudentes. Horum autem iam prædiximus ſigna.

Miſericors enim eſt ſapiens, timidus atque modeſtus, cæterum ſtupidus atque impudens nulla pietate mouentur.

Voraces autem ij ſunt quibus regio ea quæ inter vmbilicum, & pectus conſpicitur, maior ea, quæ illinc ad collum protenditur.

Laſciuus, ſubpallidus eſt, & hirſutus rectis, craßis, ac nigris tectus capillis, hirſutaque etiam tempora habens, atque oculos pingues ſtupidoſque.

Qui tota die ſunt ſomnolenti ſuperiora corporis habent maiora, aduncóquæ aſpectu, &

calidi sunt, carnem habent fœlicißime constitutam, ac denique corpus glabrum. Cæterum quæ ad regionem vẽtris spectant hirsuta in eis conspiciuntur.

Qui memoria valent iidem superiores corporis partes habent minores, sed felicius sculptas, magisque carnosas.

Hæc omnia Theoremata fuere in superioribus demonstrata.

FINIS.